QUAESTIUNCULAE AD CHRISTIANAM MORALEM PRAEMITTENDAE AUCTORE FR...

Francesco Bernabei

QUÆSTIUNCULÆ
AD CHRISTIANAM
MORALEM
PRÆMITTENDÆ

AUCTORE

FR. FRANCISCO BARNABEI

MIN. CONVENTUAL.

PHILOSOPHIÆ AC SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO.



FULGINIÆ 1802.

Ex Typographia Joannis Tomassini.

Superiorum assensu.

SAPIENTIÆ . DIVINÆ
DE . REQUISITIS . OMNINO
AB . UTILIBUS . TANTUM
PRO . ÆTERNA . CAPESSENDA . SALUTE
DISCERNENDIS . STATUENDISQUE
OPUS . QUALECUMQUE
DEMISSISSIME
DEDICAT
AUCTOR
UT . SI . RITE . FACTUM
AD . LOCUM . UNDE . EXIVIT
REVERTATUR .
IPSA . SIN . MINUS
DANTIS . AFFECTUM
PROBARE
DIGNETUR .

F. BONAVENTURA BARTOLI
DE INTERAMNA,
ARTIUM, ET S. THEOL. DOCTOR
Totius Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, post eumdem Seraphicum Patriarcham Minister Generalis XCIII.

Cum *Opusculum, cui titulus:* Quæstiunculæ ad Christianam Moralem præmittendæ = *a P. Magistro Francisco Bernabei Seraficæ Provinciæ Ord. Min. S. Francisci Conventualium Ministro Provinciali, ac nostro Commissario compositum duo Ord. Nostri Theologi jussu nostro recognoverint, & in lucem edi posse testati fuerint: facultatem impertimur, ut Typis tradatur, si iis ad quos attinet, videbitur. In quorum, &c.*

Dabamus Romæ apud SS. XII. Apostolos XVII. *Kal. Maj.* 1801.

Fr. Bonaventura Bartoli
Min. Generalis.

Loco ✠ Signi.

Fr. Cajetanus Martinelli
Ex-Assist. Gen. ac Pro-Secr. Ord.

VIDIT.

Petrus Niccoli Prior Eccl. Insign. Colleg. S. Mariæ Infra-Portas, & Revisor Synod.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas M. Potentini Ordinis Prædicatorum Prior, & Pro Vicarius S. Officii Fulginiæ.

AUCTOR LECTORI.

I. Sciscitaberis forte quo spiritu ad hæc inquirenda, & scribenda devenerim. Tres extitisse causas, statim respondeo. Primam dignoscendæ, & aperiendæ veritatis amorem. Alteram, ut eos, qui, meo quidem judicio, facto saltem audaces videntur humaniter quidem, sed vera ratione reprehendam. Tertiam denique, ut periculosiores amplissimi Pelagi Moralis Christianæ scopulos, in quos ipse offendi, vivacioris præsertim ingenii Juvenibus ostendam, illosque studiose vitandos, tempestive ipsos admoneam.

II. Recta morum Regula opposita inter sistere debet Legis extrema, quorum unum Legi detrahit, ac nocet, & *Laxitas* dicitur. Alterum Legi

dat, ac favet, & *Rigor* (1) vocatur. Non unus tamen, sed mille, & mille sunt Sacræ Theologiæ Moralis Doctores, qui in exponendis hujus delicatæ nimis scientiæ mandatis, ne Legi forte per *laxitatem* detrahatur, ad oppositum Legis extremum, nempe *rigorem* audientes, vel eorum scripta legentes ducere conantur, ut hinc eos non modo a *laxitate* retrahant, sed ad verum insuper Legis præscriptum, quod in medio est securius inducant. Contendunt tria, ex. gr. esse danda, ut facilius, & securius dentur ea duo, quæ revera Lex danda præscribit: docent *v. g.* vetitum esse etiam ad foveam accedere, ut in eam lapsus, qui reapse interdicitur, securius vitetur: Uno verbo, in hac pariter exponenda morum doctrina illud semper præ oculis habent tritissimum principium, quod nempe: *Via deveniendi ad medium est declinare ad aliud extremum.*

(1) Rigoris, & Laxitatis nomina non grammaticali, sed Moralistarum sensu hic accipimus, Laxitatem intelligendo pro ea sententia, quæ Legem minuit, & Rigorem pro illa, quæ Legem auget, gravioremque reddit.

III. Sed hujusmodi principium, hæc Regula, quæ in propriis uniuscujusque dirigendis moribus optima, ut plurimum est, tum sæpissime etiam in puris proponendis consiliis; in Legibus autem conscientiam onerantibus, vel statuendis, ac proponendis, & potissimum declarandis, mala in se est, tum a Deo expresse vetita, & valde hominibus noxia. Ordiamur a primo.

IV. Malum natura sua in se est, in Legibus proponendis, vel declarandis ad favorabile eorum extremum, idest *Rigorem* declinare; *Rigorem* ipsum pro vera Lege proponendo: id inquam malum in se est, quia malum natura sua in se est mentiri. At sine dubio mentitur ille, qui verbo, aut scripto *Rigorem* Legis ita proponit, ut illum audientes, vel legentes pro vera Lege recipiunt. Ii namque decipiuntur, & quidem ipsius proponentis studio, licet hoc forte egerit certo quodam zelo virtutis. Qui ergo ita *Rigorem* proponit, sine dubio mentitur. Et sane æque injuriam irrogat veritati, qui

dicit non vetitum, quod vetitum est; quam, qui asserit expresse vetitum, quod non satis constat esse prohibitum: Utriusque assertio veritati opponitur, ac displicet Deo, qui *veritas est*. Utriusque igitur assertio est mendacium, ideoque mala ex sua ipsa natura. Et jure, meritoque de utrumque asserentibus dici quodammodo potest, quod olim de similibus dictum legimus Isaiæ cap. 5. v. 20. hoc modo videlicet: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum*. Siquidem ii, qui certo quodam virtutis zelo ita Legem exagerant, ut ejus *Rigorem* pro ipsa Lege proponant; illud malum, idest prohibitum, dicunt, quod certe tale dici nequit. Vel asserunt esse bonum, a Lege scilicet injunctum, quod esse injunctum satis non constat: ac propterea mentiuntur, ac præmissam Dei merentur comminationem. Ideoque adducta regula declinandi ad favorabile Le-

gis extremum, in ipsius Legis expositione, sine dubio mala in se est, sicut malum in se est, ex sui natura mendacium.

V. Sed insuper eadem regula expresse, quoad Legum declarationem, vetita invenitur in Sacris Scripturis. Deuteronomii enim cap. 5. vers. 32. sic habetur: *Custodite igitur, & facite, quod præcepit Dominus Deus nobis: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram:* quod rursus injungitur cap. 28. tum Josue cap. 1. & 23. nec non Proverb. cap. 4. Quid autem, quæso, dexteræ, & sinistræ nomine intelligit scriptura? Profecto, non aliud, quam per dexteram, Legis *Rigorem*, & per sinistram *Laxitatem*, ut expresse eodem citato cap. 4. Proverb. vers. 27. declarat dicens: *Non declines ad dexteram, neque ad sinistram: averte pedem tuum a malo: vias enim, quæ a dexteris sunt, novit Dominus; perversæ vero sunt, quæ a sinistris sunt.* Hæc Scriptura; cujus clarior ad rem nostram nequit esse loquutio. Vocat

enim perversas vias, quæ sunt a sinistris, quia laxæ, & *laxitas* quum Legi adversetur, mala est. Non idipsum autem dicit de viis a dextris positis, quia ad Rigorem tendunt, & Rigor, utpote Legi favens, est bonus in se. Eas tamen vias Deo tantum notas appellat, quia licet Deus eas viderit bonas; noluit tamen ipsas præcipere. Qua de re vetitum non dicimus ad Legis Rigorem declinare titulo Consilii, quum vetitum non sit, imo valde bonum, & optimum, generatim loquendo, humilitatis, charitatis, alteriusve moralis virtutis motivo plus in Dei obsequium efficere, vel pati, quam Lex ipsa præcipiat. Sed vetitum est ad Legis dexteram, idest Rigorem declinare titulo rigorosi præcepti; quatenus non licet Dei præcepta augere. Idque potissimum vetitum est Sacris Dei Ministris, qui divinam Legem custodiunt, Populisque declarant; quum potius præ oculis habere debeant illud Spiritus Sancti monitum cap. 7. vers. 17. Ecclesiastes dicentis: *Noli esse justus*

multum idest, ut interpretantur Du Hamel, aliique; Noli Legis apicem nimio Rigore exquirere. Vetitum itaque sine dubio est, Rigorem Legis pro ipsa Lege proponere. Et jure vetitum, quia sapientissimo, & clementissimo Domino æque injuriam facit, qui ejus mandata minuit, quam qui auget, quia utroque in casu ejus voluntatem corrumpit.

VI. Tandem exposita Regula in præsenti re est valde hominibus noxia. Quid enim ipsis magis noxium, quam eis pericula augere peccatorum, proindeque damnationis æternæ & hoc equidem præfata Regula præstat; Ea namque admissa in Legum declaratione, non solum tenerentur homines ad Legem, cum debita æquitate acceptam, sed ad ejus insuper declaratum *Rigorem*; eo quod hic pro Lege haberetur propositus: Quidquid enim pro Lege statuitur, & accipitur, ut Lex ipsa ex erronea conscientia constringit, dicente Apostolo cap. 14. Epist. ad Romanos: *Omne quod non est ex fide* (id-

est ex conscientia) *peccatum est*: Legis autem augmentum auget, sine dubio, pericula transgressionis, & pœnæ ipsi debitæ sicut enim *ubi non est Lex*, *ut inquit Apostolus ad Rom.* 4. *nec est prævaricatio*, idest peccatum: ita ab opposito, ubi est Lex, ibi etiam peccatum; & ubi plures sunt Leges, ibi plures prævaricationes, seu peccata; Ergo Legis augmentum auget etiam sine dubio pericula prævaricationis, & damnationis æternæ: Ac propterea citata Regula, quæ legem ex probatis auget, auget pariter peccatorum, & eis debitæ damnationis æternæ pericula, (quo nil magis noxium, ut dicebamus, hominibus).

VII. Nec tamen hinc inferas omnem Legem esse malam: Nam datur lex necessaria, ad necessarium ordinem servandum, ut illa quæ *naturalis* vocatur, & hæc est valde bona. Datur pariter Lex libera, positiva propterea nuncupata, quæ ut sit bona debet 1. statui ab eo, qui ad eam statuendam facultate potitur: 2. debet

esse valde utilis illi Communitati, cui imponitur, & 3. debet esse possibilis, idest facilis executionis respectu eorum, qui ad eam implendam tenentur. Uno ex his deficiente, Lex bona non est. Sed Lex illa Rigoris, de qua loquimur, a legitima potestate non nascitur, quia obligat ex sola deceptione audientium. Non est valde utilis, quum sola Lex, cum æquitate accepta, sufficiat ad illam utilitatem, a fine Legis intentam. Nec demum est facilis executionis, ut sequenti numero dicemus. Ergo mala, & quidem ex omni defectu.

VIII. Quod ultimo data Regula ab eamdem rationem augendi peccatorum, damnationisque pericula, sit valde hominibus noxia, illud ulterius ostendit, quod longe difficiliorem reddit Legis observantiam. Difficilius enim est, & valde difficilius Rigorem Legis adimplere, ut perspicuum est, quam Legem ipsam cum æquitate acceptam. Ergo ex hoc etiam capite citata Regula redditur valde hominibus noxia.

IX. Quoad si autem in statuendis, & in declarandis potissimum Legibus, conscientiam onerantibus, Regula declinandi ad extremum, idest ad Legis Rigorem, sensu superius num. 2. exposito, mala in se est; item expresse prohibita, & valde hominibus noxia, ut satis probavimus: hinc manifeste sequitur, non modo omnino reiciendam, sed insuper damnandam. Ac statuendum, sicut judicio nostro statuimus pro certo, ac invariabili Christianæ Moralis Canone, ut Lex conscientiam respiciens, nude sicuti est exponatur, ac proponatur prout juxta veræ rationis æquitatem, media inter sua extrema esse intelligitur. Et hoc quidem modo rationabile erit obsequium nostrum, requisitum ab Apostolo Roman. 12., erga Leges eorumque Auctorem Deum, qui vel immediate Leges condidit, vel condendi facultatem dedit datis hominibus.

X. Ut itaque in studio Christianæ Moralis, quæ Moralis Leges conscientiam onerantes exponit, facilius quis-

que a toties repetitis earumdem Legum extremis, Laxitate scilicet, & Rigore declinet: sequentes instituo, ac propono quæstiunculas, ad ejusdem moralis studium, si placet, omnino præmittendas.

XI. En Amice Lector hujusce laboris mei tibi patefactas rationes: quibus intellectis, perge, si vis, ad legendum; Sed ea Animi dispositione, ut bona si quæ inveneris, excipias; errata corrigas: & excuses infirma. De mea tamen erga te benevolentia, quam ingenue profiteor, gaude, & diu feliciter vive.

QUÆSTIUNCULÆ AD CHRISTIANAM MORALEM PRÆMITTENDÆ.

1. Quæst. Quaenam est Christiana Moralis?

2. Resp. Generatim est scientia exponens ea, quae Jesus Christus homines docuit ad eorum mores ita dirigendos, ut aeternam obtineant Gloriae remunerationem.

Sunt autem hominum Mores, qui & actus humani vocantur, ii actus quos homo sciens, & volens efficit; tam videlicet percipiendo quod agit, quam libere illud agendo, nulla insuperabili necessitate constrictus.

Ergo Christianæ Moralis materia erunt ea, quæ Christus necessaria esse docuit ad humanos Mores ita dirigendos, ut æternam mereantur gloriæ remunerationem. Objectum

autem, sive ultimus finis ipsius, prædicta erit hominum æternæ gloriæ retributio.

3 Quest. 2. Quæ, quæso, necessaria in hominibus esse docuit Christus, ut æternam felicitatem obtineant?

4 Resp. Fidem, ac Divinæ Legis observantiam. Utræque enim sunt hominum Mores a Christo propositi. Nam de Fide Marci cap. 16. v. 16. dixit = *Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur* = Unde Ap. cap. 11. Epist. ad Hebræos scripsit = *Sine fide autem impossibile est placere Deo* = Similia in pluribus aliis Scripturæ locis. De Divinæ vero legis observantia idem Christus interroganti = *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam* = respondit ut videre est apud Matthæum cap. 19. v. 16. *Si vis*, dixit, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata .... non homicidium facies, non adulterabis &c* = Unde S. Jacobus Apost. cap. 2. suæ Epistolæ Catholicæ ait: *Sic & Fides, si non habeat opera, mortua est*. Similia in pluribus aliis Sacræ Scripturæ locis. Ergo in adultis & Fides, & Divinæ Legis adimplementum ad vitam æternam sunt necessaria.

5. Quæst. 3. Sunt ne utræque æqualiter necessariæ?

6 Resp. Maxime: Nam de fide Joannis cap. 3. v. 18. legimus: *Qui autem non credit, jam judicatus est*: Et de Legis adimplemento in citata sua epist. cap. 2. v. 10. scribit Jacobus Apostolus: *Quicumque autem totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*: Ergo æqua ratione Fides, ac Divinæ Legis observantia sunt absolute homini adulto necessaria ad æternam salutem. Huc redeunt num. 4. adducta.

7 Quest. 4. Quænam de Fide necessario credenda sunt ad salutem?

8 Resp. Duo I. Ea, quæ Catholica Ecclesia expresse de Fide credenda proponit (2), ac præcipit sub aliqua Censuræ, vel alterius gravis supplicii pæna: & qui his ore, & corde non credunt; si baptizati sunt, vocantur Hæretici; si baptismo carent, generatim Infideles dicuntur, ut Gentiles, Turcæ, Hebræi &c.

II. Illa, quæ clare, & aperte vel docet Sacra Scriptura, quin ejus Doctrinæ aliqua manifesta veritas opponatur vel re-

(2) Ad Ecclesiam spectat veram Fidem exponere vel in Sacra Scriptura expressam, vel ex Traditione deductam: *Evangelio non crederem nisi Ecclesiæ me moveret auctoritas*, inquiebat magnus Augustinus Lib. cont. Epist. fund. cap. 5.

fert communis Traditio Patrum; aut generatim sine ulla Catholicorum Doctorum discrepantia tenet Ecclesia Catholica; & qui his non credunt, licet manifeste Heretici non sint; quia non expresse tales ab Ecclesia declarantur: sunt tamen Infideles, & lethaliter peccant, quia cognitam veritatem in re gravissima oppugnant; vel respuunt, & quia non obediunt Ecclesiæ, sub gravi præcipienti Scripturæ Sanctæ Doctrinam, Patrum Traditionem, & generalem ipsius Fidem, usumque esse tenendum.

Hæc duo necessario de Fide credenda sunt ad salutem, cum certo constet ea esse de Fide: & Sententiæ Dogmaticæ dicuntur.

9 Quest. 5. Inter illa, quæ Fidem respiciunt sunt aliqua nec expresse ab Ecclesia tamquam de Fide declarata, neque clare, & aperte ex Sacra Scriptura, Traditione, vel Ecclesiæ usu nota, quæ a diversis Catholicis Theologis diverso etiam modo declarantur, atque tuentur: ex millibus sit sequens exemplum.

Certum de Fide est, unam, et indivisam Dei Naturam in Tribus existere Divinis Personis realiter ab invicem distinctis. Certum pariter de Fide, eamdem Di-

vinam Naturam non realiter a Divinis Personalitatibus (ne Quaternitas in Deo admittatur) sed aliquo tamen modo discerni, quia Natura est communis, Personalitas vero est propria, & principium distinctionis uniuscujusque Personæ. Nunc adveniunt Catholici Doctores, eorumque aliqui ut Scotistæ, contendunt Divinam Naturam *formaliter* ab unaquaque Personalitate secerni: Alii, ut Thomistæ, non formaliter, sed *virtualiter*; & alii *connotative* dumtaxat. His positis quærimus, num pro libito liceat sine fidei discrimine, ac proinde sine lethali culpa, quamlibet ex iis oppositis Catholicorum sententiis, seu opinionibus amplecti, atque tueri: vel necessario tenenda, ac tuenda, quæ tutior, vel probabilior videtur? ita de aliis innumeris Catholicorum placitis, quæ Sententiæ Scholasticæ vocantur.

Notum puto, Opinionem, quæ *est sententia non manifeste certa*, unam dici probabilem, alteram probabiliorem. Utraque veris rationibus firmisque fundamentis inniti debet; sed prima minoribus, altera pluribus, vel potioribus innititur, aut inniti videtur. Si revera innititur, dicitur *subjective* probabilis, vel probabilior; Si vi-

detur inniti, *objective* probabilis, vel probabilior vocatur. Ex iis, opinio quæ omnino aliena est a periculo errandi, ut in adducto exemplo, *nihil dicere ac tueri*, Tuta nominatur. Alias erit non Tuta, licet probabilis, vel probabilior. Probabilitas dicitur *intrinseca*, si nascatur ex rationibus deductis ex Sacra Scriptura, ex sacris Traditionibus, ex Definitionibus Ecclesiæ Catholicæ, ex communiori SS. Patrum sententia, vel ex naturali ratione. Vocatur vero *probabilitas extrinseca* si nascatur ex auctoritate Doctorum, qui sint in materia, de qua fit sermo, insignes, graves, & fide digni. Opinio autem, quæ vel levibus rationibus, vel auctoribus non satis notis, aut inferioris famæ bonæ innititur, non *probabilis*, sed *improbabilis* vocatur. Hic de sola vera probabilitate loquimur: his præmissis.

10. R. Certissime licet sine fidei discrimine & sine lethali culpa quamlibet amplecti, ac tueri ex indicatis Catholicorum Doctorum sententiis quin tutior, vel probabilior sit necessario seligenda, donec de illis Catholica Ecclesia suum proferat judicium; Quod sane esset unice, ac necessario tenendum. Juque probatur pluribus; &

Primo. Fidei Magistra, & Judex controversiarum, quæ circa Fidei materiam excitantur a Catholicis, est sola Ecclesia (de fide id credimus, & credunt omnes Fideles); non vero Scholastici Theologi, eorumque, vel nostra opinio. Ergo illius dumtaxat decisio in controversiis Fidei inter Catholicos, sub lethali culpa obligabit, non vero eorumdem Catholicorum Doctorum vel probabilior, aut tutior sententia: qualis esset illa, *nullam tuendo sententiam*: nam alias æqualis esset hujus, ac Ecclesiæ auctoritas, quod est alienum a Fide, & revera

11 Secundo. Solam ejusdem Ecclesiæ decisionem in iis controversiis obligare pluribus exemplis eadem ipsa Ecclesia expresse declaravit; & I. Tempore S. Aniceti, qui Anno Christi 167. Summus Pontifex renuntiatus fuit, Romam venit S. Polycarpus Smyrnensis Episcopus, ut eumdem Pontificem circa diem celebrandi Pascha, de quo dissensio habebatur in Ecclesia, consuleret, cum nondum esset ab ea aliquid hac in re definitum. Polycarpo interroganti respondit Anicetus Pontifex, Pascha celebrandum die Dominico immediate sequenti Lunam quartam decimam, seu Plenilunium post vernum Equinoctium, quia talis erat

consuetudo Ecclesiæ Romanæ ex Apostolica Traditione deducta. Non acquiescebat Polycarpus, contendens Pascha celebrandum in eadem ipsa die prædictæ Lunæ quartæ decimæ Hebræorum more; quia ita se didicisse affirmabat a Præceptore suo Joanne Apostolo; atque ita Asianorum consuetudo ferebat. Ad hæc iterum Anicetus dixit, Romanæ Ecclesiæ Traditionem vere esse Apostolicam, eique propterea esse potius adhærendum. Sed firmum in sua sententia inspiciens Polycarpum, non modo illum a sua communione minime sejunxit, sed insuper ei permisit solemniter Romæ Pontificalia peragere; idque non alia de causa, nisi quia de re agebatur nondum ab Ecclesia expresse definita. Ergo exemplo suo Summus Pontifex monstravit sententiam probabiliorem, (qualis certissime erat sua, utpote sententia Ecclesiæ Romanæ, dignitate, & auctoritate ipso fatente Polycarpo, excellentioris) neutiquam sub gravi constringere.

12. Eamdem Polycarpi sententiam post plures annos Theophilus Cesareæ Episcopus tenuit adversus S. Victorem Papam, ad quem consulendum pari Polycarpi motivo Romam advenerat. Post multa Victor dam-

nare volebat, vel forte damnavit Theophilum cum suis in propria opinione persistente; Sed a damnationis decreto Victorem retinet, vel revocat doctissimus Pater S. Irenæus Lugdunensis Episcopus hac sola ratione, quia sententiam propugnaverat, quam nondum tenebat ab Ecclesia definitam. Quid autem ad hæc Probabiliorista? Certe si licitum non est sine fidei discrimine, aut sine lethali culpa, minus probabilem opinionem in conspectu probabilioris, a Confessario præsertim, & multo magis a Supremo Pontifice propositæ, tenere, damnandus, vel in damnatione relinquendus fuisset Theophilus, qui etiam ex Irenæi mente opinionem minus probabilem tuebatur. Sed fortius res evincitur.

13 Tertio. Tempore Summi Pontificis Pii II. anno 1458. electi, gravissima exarsit controversia Patres Dominicanos inter, & Franciscanos, contendentes hi posteriores contra illos, Domini Nostri Jesu Christi Sanguinem ab ejus Corpore in terram effusum in triduo mortis ejus non amplius hypostatice divinitati unitum remansisse; ideoque tunc latriæ cultu indignum: Major pars Theologorum, ut refert Lib. 2 Gobelinus, adhærebat Dominicanis, oppo-

situm tuentibus; imo privata sententia, & ipse Pontifex Pius, qui tamen solemniter declaravit, non esse contra Fidem asserere, aliquam guttam Sanguinis Christi post ejus Resurrectionem in terra remansisse. Caussa ad eumdem Pontificem delata fuit qui post varias discussiones, esto Prædicatorum sententiam sua privata opinione probabiliorem censeret, ut supra: solemni tamen decreto sub Excommunicationis pœna præcepit, ne quisquam assereret: *Quod hæreticum, vel peccatum sit tenere, vel credere Sanguinem ipsius sanctissimum triduo passionis ejusdem Domini Nostri Jesu Christi ab ipsa Divinitate quomodolibet fuisse, vel non fuisse divisum, vel separatum, donec, quod ea de re tenendum esset, a Sede Apostolica fuisset definitum*: Ergo ex solemni Decreto Romani Pontificis constat, peccatum non esse unam, vel alteram sententiam tenere in controversiis Catholicorum ante Romanæ Sedis decisionem, licet altera, ut in casu, probabilior appareat. Sed iterum fortius causa tuetur.

14 Quarto. Summi Pontifices Sixtus IV., electus anno 1471. Paulus V. renuntiatus anno 1605., & Alexander VII. an. 1655. creatus, & alii etiam, in altera ce-

lebriori controversia eosdem inter Domenicanos, & Franciscanos de Conceptione B. Virginis Mariæ; Contendentes Secundi contra Primos B. Virginem Mariam in primo instanti suæ Conceptionis ab originali culpa ex singulari Dei privilegio, præservatam fuisse, sub gravisssimis pænis prohibuerunt, ne quisquam unam, vel alteram ex his sententiis erroneam damnaret, vel esse hæreticum, aut lethaliter peccare illum, qui B. Mariam Virginem cum originali labe conceptam teneret, vel viceversa, sed licere unicuique quamlibet partem amplecti; hac sola ratione quia nondum ab Ecclesia quidquam hac in re definitum habemus; & tamen certissimum est, eosdem Pontifices probabiliorem censuisse Franciscanorum sententiam quæ ab originali culpa B. Virginem prædicat immunem, cum hanc pluribus sint prosequuti favoribus.

Etenim Sixtus IV. in ejus honorem Officium, & Missam per totam Ecclesiam instituit; in eisque Beatæ Mariæ *Conceptionem Immaculatam* dicere permisit, sicuti modo etiam recitant Franciscani. Paulus V. vetuit, ne contraria sententia, tenens B. Virginem cum originali conceptam, publice verbo, aut scripto traderetur: Non

vetuit tamen, ne traderetur altera huic opposita, quod etiam peregit Alexander VII, qui aliorum hac in re Pontificum Constitutiones renovavit. Gregorius vero XV. hanc ipsam prohibitionem ad privata etiam colloquia, atque scripta extendit. Ergo, si his non obstantibus, expresse declarant citati Pontifices, aliique ut monuimus, non peccare eum, qui unam, vel alteram ex relatis sententiis profitetur, ex eo quod nihil de illis Ecclesia protulit: ex hoc novis manifestis exemplis eadem Ecclesia expresse ostendit, licere in Catholicorum controversiis circa Fidem, ab ipsa non resolutis, unam, vel alteram opinionem tenere, etiam ea derelicta, quam facto suo probabiliorem, ut in casu, eadem censet Ecclesia.

15 His accedit aliud exemplum prælaudati Pauli V. qui finem imponens celeberrimis Congregationibus de Divinis Auxiliis cœptis sub Clemente VIII. circa Gratiam efficacem; an scilicet dicenda sit efficax ab intrinseco sui, ut mordicus propugnabant Patres Dominicani; an vero ab extrinseco, quia nempe datur a Deo sub prævisione consensus, ut Patres Societatis Jesu tuebantur: his, inquam Congregatio-

nibus præfatus Pontifex finem imponens, ac nihil proinde hac super re definiens; statuit, ut nemini liceret unam vel alteram oppositam opinionem aliqua Censura damnare, quia neutra ab ecclesia definita, vel proscripta erat. Et tamen fatentibus Dominicanis, Augustinianisque, citatus Pontifex longe probabiliorem eorum sententiam habebat; Ergo si hoc non obstante dictus Pontifex licitum esse voluit, sine ulla Censura, unam, vel alteram amplecti: jam manifeste indicavit licitum esse, quamlibet ex oppositis Catholicorum opinionibus in materia Fidei sequi, etiam relicta, quæ probabilior videtur; eo quia nihil de illis statuit Ecclesia, quæ sola est veritatis Magistra, & Fidei, nostrorumque morum diretrix. Hoc expresse statutum in citatis casibus vidimus. Ergo, & in aliis omnibus, quia eadem & in illis indistincta ratio reperitur.

16 Et revera hoc ipsum exemplo suo quisque probat Catholicorum. Nemo etenim dubitaret, se licite non posse in aliqua Universitate docere juxta morem ipsius datum quoddam Catholicorum sistema theologicum, etsi aliud sua privata sententia probabilius censeret. Patresque Domi-

nicani possunt sine culpa jurejurando promittere, se velle tenere S. Thomæ doctrinas, licet aliquam in iis, quæ de Fide non sunt, minus probabilem quisque fortasse sua sententia putaret. Ergo tum omnium Catholicorum Doctorum consensu, tum potissimum Theologica ratione primo loco adducta, tum denique pluribus, iteratisque Catholicæ Ecclesiæ exemplis luce meridiana clarius apparet, licere sine fidei discrimine, & sine lethali culpa, quamlibet amplecti, & tenere vere probabilem Catholicorum Theologorum sententiam, quin probabilior, vel tutior necessario seligenda sit, donec Ecclesia suum de illis proferat judicium.

17 Dixi sine culpa lethali, quia in materia Fidei, quilibet error deliberatus culpa lethalis est. Et culpa venialis potest etiam aliquando perpetrari; non quia in se illicitum sit aliquam doctrinam tueri; sed quia *pervicaciter* tuetur, idest propriam opinionem vanitatis caussa tuendo; non autem caussa detegendæ veritatis, vel sustinendi id, quod vetitum non est, & ab aliis Catholicis Theologis ratione sustinetur.

18 Fatemur tamen optimum esse con-

silium sequi, ac tueri probabiliorem sententiam, eam nempe, quæ gravioribus auctoritatis, vel rationis fundamentis innititur sed semper modeste; animo scilicet sapientiori acquiescendi judicio; & nunquam veluti falsam, aut erroneam criminando contrariam sententiam a Catholicis Theologis admissam, sciente, nec reprobante, cum potest, & valet Ecclesia. Nec eos asserendo peccare, qui illam sequuntur.

19 Quest. 6. Quid dicendum de iis, qui veluti peccati reos criminantur sequentes minus probabilem opinionem in Fidei controversiis ab Ecclesia non definitis?

20 Resp. Illud judicium, quod de Superioris auctoritatem usurpantibus fertur; audaciæ nempe, ac temeritatis. Ad Ecclesiam enim pertinet, non ad privatos Doctores, Fidei controversias dirimere; rectas a falsis seligendo sententias, erroneasque reprobando. Ergo qui tamquam peccati reos criminantur sectantes minus probabilem opinionem in controversiis nondum ab ipsa Ecclesia definitis, ejus sibi arrogant auctoritatem, quod sane audaciæ vitium est ac nimiæ temeritatis. Scit utique Ecclesia oppositas Theologorum sententias, easque cum gaudio audit, ut ex illis facilius ve-

ritas detegatur. Et ipsa discreto, ac prudenti silentio neutram vel approbat, vel reprobat. Et interim unus, vel alter privatus Doctor, qui vix dici potest Ecclesiæ discipulus, coram ipsa Magistra, tacente, & de controversia gaudente, audere debet unam, aut alteram ex illis sententiis absolute gravi censura damnare? Hunc, qui valet excuset a culpa, qui tot culpæ reos sua privata opinione constituit. Christianam insuper graviter illi lædunt Charitatem debitam Proximo; quia eum peccati turpitudine infamant sine auctoritate, ac sufficienti veritate, qui talis minime ab aliis censetur: imo quando ille jure putat se bene agere, vel saltem se esse a peccandi periculo alienum. Dirimunt tandem unam ex præcipuis notis Ecclesiæ, idest *Unitatem*. Hæc siquidem præcipue sita est in unitate Doctrinæ necessariæ ad salutem. Sed qui putant licitum non esse, sine gravi peccato, in Fidei controversiis ab Ecclesia non definitis, sequi minus probabilem sententiam, probabiliori relicta; hi sane censent, non habere eos, qui talem opinionem minus probabilem tenent, doctrinam necessariam ad salutem. Hos enim respiciunt, sicuti Catholici re-

spiciunt Hæreticos, qui falsas sectantur doctrinas. Atqui Hæretici revera scissi sunt ab Ecclesiæ unitate ob deficientiam Doctrinæ necessariæ ad salutem; Ergo & illi. Ideoque Probabilioristæ sine auctoritate dirimunt unitatem Ecclesiæ, separantes ab ipsa illos, qui revera in ipsa reperiri censentur. Quod non modo audaciæ est, & temeritatis, sed etiam Schisma videtur inducere.

21 Objec. Ergo Theologia Scholastica inutilis erit, vana, & noxia, ut erronee blaterant Novatores hæretici, idest Wiclephus, Lutherus, ejusque discipuli. Inutilis, quia si ejus demonstrationes non obligant, ad quid inserviret? Vana, quia omne inutile vanum est. Et demum noxia, quia eidem revera innixi Theologi, plures damnant, ut supra; quos juxta præceptum Domini damnare non deberent: Atqui hæc consequentia est falsa, utpote in citatis hæreticis damnata. Ergo signum, quod Scholasticæ Theologiæ demonstrationes obligant in conscientia. Accedit, quod Innocentius XI. hanc sequentem damnavit prop. num. 4. = Ab infidelitate excusabitur Fidelis non credens ductus opinione minus probabili = damnata in globo cum aliis, tamquam, ut minimum scandalosa, & in praxi perniciosa; ideoque &c. C

2a Resp. neg. conseq. ad cujus probationem dico ad 1. Demonstrationes Theologiæ Scholasticæ alias esse evidentes, ut cum ex Fidei principiis notis necessariæ deducuntur consequentiæ: alias vero tantum probabiles: primæ obligant in conscientia, quia ostendunt certam veritatem. Est autem peccatum in conscientia, cognitam veritatem deserere, ex dictis num 8.; & docet Apostolus ad Romanos cap. 2. v. 8. dicens: *Jis, qui non acquiescunt veritati*... ira, & indignatio = Et alibi. Secus quia non certam veritatem autem, secundæ ostendunt, sed probabilem tantum, idest incertam, & fallacem: quot enim ideæ, quæ & nobis, & doctissimis etiam viris, ut Origeni, S. Augustino, aliisque, valde probabiles videbantur; postea falsæ detectæ fuere? Ideo istæ demonstrationes non obligant rigoroso sensu in conscientia. Sua tamen etiam Ecclesiæ utilissimæ, quia materiam, seu rationes ei subministrant, quibus ipsa facilius valeat occultam veritatem detegere, & expresse proponere. Nec enim Ecclesia vel revelatione nova, vel cæco, ut ita dicam, modo aliquam Fidei, vel morum controversiam finire debet; sed diligenti examine, scrutando scripturas,

consulendo Patres, Fideles Sacrarum Scripturarum Interpetres, ac Divinarum Traditionum Relatores. Videre debet, quid juxta Divinam Revelationem vel in Sacris Scripturis expressum, vel per Traditionem demandatum sit, ad talem controversiam dirimendam. Ergo Scholastici Doctores hoc ipsum examen in Scripturis, & Patribus, & in ipsa etiam naturali ratione peragendo, inservient Ecclesiæ, legitimæ controversiarum Judici, eodem modo, quo in forensibus causis Judici ad rite judicandum inserviunt Patroni, qui oppositarum Partium litigantium rationes hinc inde ardenti studio proponunt. Ergo sicut horum ratiocinia utilissima sunt Judici forensi; ita & Theologorum Scholasticorum studia, atque conatus Ecclesiæ. Atque hinc patet Scholasticam Theologiam inanem non esse, quia ex probatis utilissima. Ad ultimum autem dicimus, Theologiam Scholasticam non esse in se noxiam, sed ejus abusum. Vitium est Theologorum, non Theologiæ, dum eos damnant, de quibus non satis certe constet esse damnandos.

Nec officit damnatio Propositionis ab Innocentio facta, quia, ut docet etiam P. Viva n. 6. opinio, quæ est contra *Fidem*,

vere probabilis non est, sed illusio, faciliter despicienda; ideoque nunquam potest ab infidelitate excusare.

DE LEGIS OBSERVANTIA.

23 Quest. 7. Cum ex dictis num. 4. & 6. æque Fides, ac Divinæ Legis observantia necessaria sint ad salutem æternam: eumque de Fide, juxta præsens propositum satis dictum sit: nunc ideo de Legis observantia inquirimus I. Quænam sunt Divinæ Legis præcepta necessario observanda ad salutem?

24. Resp. Duo, & I. Ea, quæ expresse Ecclesia Catholica ex gravi Divinæ Legis mandato facienda, vel vitanda declarat. Secundo illa quæ clare, & aperte facienda, vel vitanda docet in re gravi, vel Sacra Scriptura, quin ejus Doctrinæ aliqua nota veritas opponatur, aut referat communis Traditio Patrum; vel demum generalis usus Catholicæ Ecclesiæ, sine ulla Catholicorum Theologorum discrepantia; tum Ratio manifesta, quæ divinam naturalem Legem ostendit. Hæc duo necessario adimplenda sunt ad æternam salutem consequendam, quia certo constat hæc esse a Di-

vina, vel Ecclesiastica Lege sub gravi præscripta; ideoque vera esse præcepta moralia.

Observantia Legum Ecclesiasticarum & Præceptorum Legitimorum Principum, aliorumque Superiorum &c. sub præscripto Legis Divinæ continetur, ut notum est ex consequenti.

25. Quæst. 8. Inter ea, quæ legis observantiam respiciunt, quædam reperiuntur nec expresse ab Ecclesia declarata, tamquam vera præcepta obligatoria in Conscientia: neque clare, & aperte, sine Catholicorum discrepantia, vel in Sacra Scriptura expressa, vel in Traditione, aut in communi usu Ecclesiæ Catholicæ, diversimode a Catholicis Theologis proponuntur, ac tuentur; adeo ut nonnulli firmo aliquo fundamento præscripta, aut licita; reliqui, altero simili fundamento, contendant præscripta non esse, nec illicita. Sit ex innumeris exemplum. Certum est Præceptum Sanctificationis Festi importare sub gravi cessationem ab operibus servilibus; & ex Ecclesiæ mandato, etiam Missæ auditionem. Num etiam importet ulterius sub gravi, aliud distinctum exercitium operum pietatis, incertum est. Sustinent mul-

ti, asserentes, non satisfacere illum præcepto santificationis Festi, qui audita Missa, nullum aliud pietatis opus efficit, licet cesset a servilibus. Quare isti tria æque gravia præcepta in Festi sanctificatione occurrere censent. Alii vero e contra tuentur, affirmantes congruum quidem esse festivum diem in pietatis operibus insumere, sed non ita necessarium injunctæ sanctificationi Festi, ut graviter peccet ille, qui sola contentus est cessatione a servilibus, & Missæ auditione. In iis itaque aliisve similibus Catholicorum moralistarum controversiis, licitum ne est sine mortali peccato, unam, vel alteram ex oppositis opinionibus sequi; vel necessario agendum est secundum partem, quæ probabilior, vel tutior videtur. Jam suppono tutioris partis nomine intelligi eam, quæ licet falsa esset, attamen stat pro lege, qua nempe posita lex sine dubio salvatur. Nomine vero probabilioris venit altera, quæ validioribus inniti videtur fundamentis: Iis positis.

26. R. Ex dictis num. 4. & 6. Fides & Legis observantia æque necessaria sunt ad salutem. Ex pariter dictis num. 8. 10. 11. 12. 13. usque ad 17. licitum est sine Fidei discrimine, & gravi peccato ample-

cti, ac tueri quamlibet Catholicorum Scholasticorum in Fidei controversiis, ab Ecclesia non difinitis, opinionem, quin probabilior, vel tutior necessario tenenda sit. Ergo pariter sine Legis, & conscientiæ gravi discrimine, & peccato idipsum fieri poterit in controversiis morum, ab Ecclesia non definitis. In utrisque enim controversiis, Fidei nempe, & morum, Ecclesia Judex est, & Magistra. Ergo sicut in controversiis Fidei non læditur Fides, unam, vel alteram ex oppositis opinionibus sectando, antequam Ecclesia suum de illis promat judicium: ita neque in Legis controversiis lædetur lex, unam, vel alteram ex oppositis opinionibus, vere probabilibus, sequendo, antequam Ecclesia suum de illis judicium protulerit, Res, nisi mea me fallat opinio, pari passu progreditur.

27. Accedit Ecclesiæ Catrolicæ exemplum non modo in casibus relatis num. 11. 12. 13. 14. 15., qui etiam pro re præsenti militant, sed in casibus directe Legis observantiam respicientibus, & I., ut num. 13. diximus; Summus Pontifex Pius II. solemniter declaravit non esse contra fidem asserere, aliquam Jesu Christi Sanguinis guttam post ejus gloriosam Resurrectionem in

Terris remansisse. Ergo cum etiam ex inibi relatis, solemniter statuerit non esse peccatum tenere, & credere eumdem Sanguinem a Christi Corpore effusum, in triduo Mortis Ejus fuisse, vel non fuisse a Divinitate separatum: ex hoc per necessariam illationèm, declaratum etiam esse deducitur, peccatum non esse *adorare*, vel non *adorare* adoratione Latriæ eam Christi Sanguinis Guttam quæ modo servatur in terris, uti Venetiis in Ecclesia PP. Min. Conventualium, Interamnæ &c. Adoranda enim esset tali adoratione, si Divinitati juncta supponatur, secus vero si disjuncta. Adorare autem, vel non adorare est equidem opus morale, Legis observantiam respiciens. Ergo revera Ecclesia exemplo suo declaravit licitum esse in notis Catholicorum controversiis Legis, licitum esse unam, vel alteram sententiam tenere. Sed fortius.

28. Secundo.. Summus Pontifex Alexander VII. anno 1667. sub pœna Excommunicationis sibi reservatæ præcepit, ne quis audeat, neque erudiendo Pœnitentes. *Alicujus Theologicæ censuræ, alteriusque injuriæ &c. taxare alterutram sententiam sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu Gehennæ conce-*

pta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur; sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec a S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum. Habere autem, vel non habere in attritione indicata aliqualem dilectionem Dei, pertinet ad Legis observantiam, & ad validitatem dispositionum requisitarum pro valida, & proficua consecutione sacramentalis Absolutionis in Pœnitentiæ Sacramento. Et laudatus Pontifex tamen, Personam agens Supremi Doctoris Ecclesiæ, sub gravissimis pœnis prohibet, ne una vel altera ex his oppositis sententiis (licet una sit tutior, & altera communior dicatur) veluti erronea, vel inductiva ad peccandum dicatur; Ergo certo certius hinc deducitur, voluisse ostendere Ecclesiæ Magistrum Romanum Pontificem, licitum esse sine discrimine observantiæ Legis, ideoque sine gravi peccato, in notis controversiis, etiam morum, ab Ecclesiæ nondum definitis, tenere unam vel alteram oppositam partem. Non dicit Pontifex sequendam, vel probabiliorem, vel partem tutiorem, sed damnandum non esse illum, qui unam, vel alteram partem tenet, præcise quia id non interdicit Ecclesia, veritatis, & morum Magistra. Sed si non damnandus; Ergo non

peccat: ac proinde licitum &c. & revera

29 Lex non obligat, nisi sit satis promulgata, ut per se patet; omnesque consentiunt. Sed quando Catholici Theologi firmis solidisque rationibus, sciente, ac tacente, cum loqui potest, Ecclesia; disputant inter se, an hoc, vel illud juxta Legem faciendum sit, vel omittendum; tunc signum est manifestum, Legem non esse satis promulgatam, seu quod idem est, non satis notam, nec in se, idest in ipso jure, nec per declarationem Ecclesiæ, veritatis Magistræ, & Judicis controversiarum.

Nec dicas tunc satis notam probabilius Legem videri pro una parte, quam pro alia. Nam contra. Hæc major, quæ videtur probabilitas, fallax est, quia semper incerta. Etenim non raro, quæ probabiliores videntur sententiæ, falsæ postea deteguntur. Ergo ea major apparens probabilitas non reddit Legem certam, nec proinde destruit probabilitatem oppositam, quam si destrueret, certa evaderet. Igitur adhuc incerta remanet Lex. Atqui in incertitudine, seu in dubio Legis, hæc non obligat, cum Lex, omnibus fatentibus, sit odiosa, & ex Regula 15. Juris Canonici in 6. = *Odia restringi, favores convenit*

ampliari = tum etiam, quia Lex incerta, obscura est; & = In obscuris minimum est sequendum = ut ex alia Regula 30. Juris in 6., Ergo sicut in materia Fidei, ut supra num. 10., & sequentibus, evidenter monstravimus, ad Fidem sub lethali culpa non tenemur, quando hæc non certo, sed probabilius tantum quibusdam, vel nobis apparet, aliis ob solidas rationes, reluctantibus: ita neque sub gravi culpa ad Legem tenebimur, quando hæc non certo, sed probabilius tantum apparet; aliis Catholicis, sciente Ecclesia, negantibus.

30 At dices. Qui agit contra probabiliorem sententiam se exponit periculo trasgrediendi Legem, ideoque peccandi: ut etiam docet S. Antoninus I. part. tit. 3. cap. 10. dicens. *Qui agit scienter id de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiamsi illud non esset mortale.*

31 Verum falsum diceres, quia non habetur transgressio Legis, quando hæc, ut in casu, non est satis nota: & hac de causa prælaudati Summi Pontifices Pius II., in casu num. 27. citato, & Alexander VII. altero in casu num. 28. expresso, hujusmodi peccandi periculum non timuerunt, per-

mittendo, ut una, vel altera ex oppositis sententiis in citatis casibus libere teneretur. Ergo transgressio Legis non habetur, nisi quando lex est satis nota; sicut infidelitas non contingit, nisi quando est satis nota Fides. Atqui, ex demonstratis num. 10. & sequentibus, non censetur satis nota Fides eo gradu, ut illam respuens Infidelis sit, reus culpæ lethalis, quando non certo, sed probabilius, negantibus ob firmas rationes Catholicis aliis, dumtaxat apparet: ita neque satis nota erit Lex eo gradu, ut eam non adimplens dicendus sit Legis transgressor; & reus culpæ lethalis, quando Lex non certo innotescit, sed probabilius tantum, aliis tamen vera probabilitate negantibus.

Sanctus autem Antoninus sapientissime loquitur; loquitur enim de illo, qui agit cum dubio, nullam adhibendo diligentiam, ut detegat veritatem dubiumque prudenter deponat, quo in casu agendo, peccat ob pravam dispositionem, quam habet, faciendi talem actionem, etiamsi esset peccatum. Non loquitur autem in nostro sensu, de illo, qui dubium prudenter deponit, hoc modo sibi rectam efformans conscientiam, nempe = Lex non obligat, nisi certo innotescat, ut vidimus:

Sed non satis innotescit, etiam post prudens examen, num id, de quo dubito sit revera prohibitum; ideoque, deposito dubio tuta conscientia actionem perficio.

32 Sed urgebis: *In dubiis via tutior est eligenda*, ut respondit Innocentius III. in proposito illius Sacerdotis, qui, ut ipse refert, dubitabat de lata in eum excommunicationis sententia, quique propterea, eodem dicente Innocentio = Debuerat potius se abstinere, quam Sacramenta Ecclesiastica pertractare = Sic notatur cap. 4. de Clerico excomm.; & adducta sententia habetur veluti Axioma Canonicum. Ergo non sufficit in dubio, ad vitandum peccatum, illud prudenter deponere, quia lex non est satis nota; sed tutiorem partem seligere præstat, idest probabiliorem, quæ respectu minus probabilis tutior habetur. Ad quod

33 Respondemus. Id quidem nostra etiam sententia faciendum; in dubiis nempe probabiliorem partem tenendam. Hoc et animo dicimus, hoc ex corde cunctis insinuamus. Non vero, ut relicta probabiliore, quisque minus probabilem opinionem, nisi in sui, vel Proximi necessitate, sequatur. Idque dicimus, inquam, atque solicite

insinuamus, ut quisque ad virtutem magis, & perfectionem accedat, quemadmodum Christus Matthæi 5. v. 48. inculcat, dicens: *Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester perfectus est*. Negamus tamen hoc rigorosum esse præceptum, sequendi nempe probabiliorem, quam quisque tenet sententiam; adeo ut qui ea relicta, minus probabilem, sed vere probabilem in re gravi sequitur, mortaliter peccet. Hoc est, quod negamus, & jure ob evidentissimas rationes adductas num. 26. 27. 28. 29. & 30., atque ob alias insuper adducendas. Neque Innocentius III. propositam abeo Regulam: *In dubiis via tutior est eligenda*, vult esse rigorosum præceptum; sed consilium dumtaxat; idque ex pluribus indubie colligimus & I. ex factis aliorum Pontificum, tum relatis num. 13. 14. & 15., in quibus, si via tutior in dubiis esset ex præcepto tenenda, præcipere debuissent, ne quis in Fidei controversiis ullam partem sequatur, & propugnet; quod sane tutius arceret errandi periculum; vel sequatur partem, quam putat esse probabiliorem. Tum etiam collegimus ex factis indicatis num. 27. & 28., in quorum primo præcipere debuisset Pius II., ne quis guttam Sanguinis Christi, in

terris nunc existentem, Latriæ cultu veneretur, sed Hiperduliæ: quia tutius est cessare aliquando a cultu majori quam se periculo exponere indebitum cultum exhibendi, quod esset gravissimum scelus Idololatriæ. In secundo autem debuisset Alexander VII. dicere, admittendam esse aliqualem Dei dilectionem in attritione, cum hoc profecto sit tutius. At hoc non dixerunt citati Pontifices; imo quamlibet controversiæ partem tenendam permiserunt: graviter injungentes, ne quis unam, vel alteram audeat ceu erroneam criminari. Ergo signum manifestum, allatam Regulam consilium esse, non vero rigorosum præceptum; ne dicamus Pontifici Pontifices contrarios, quod esset dicere nefas. Colligimus secundo ex aliorum Pontificum factis relatis in 4. Decretalium, tum Tit. II. cap. 2. ubi legimus, Alexandrum III. quærentibus - *An Vir, aut Mulier si scienter, vel ignoranter Filium suum de Sacro fonte susceperint, debeant propter hoc separari*; respondisse: *Quamvis generaliter sit constitutum, ut debeant separari, quidam tamen humanius sentientes, aliter statuerunt; ideoque nobis videtur, quod sive, ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi*. Sic

Pontifex; qui sane, si tutiorem partem tenendam esse putasset, dicere debuisset, eos esse separandos. Nam hoc fuisset tutius, ut patet, & probabilius etiam, quia geneliter constitutum. Tum etiam Tit. 15. cap. *Fraternitatis*; ubi refertur Cœlestinum III. excusasse sententiam Episcopi Antisiodorensis, qui Mulierem a Viro suo per errorem probabilem separaverat, quamvis separanda non fuisset. Ex quibus omnibus satis, superque apparet, Romanos Pontifices in suis solemnibus Decretis, ac responsionibus, non habuisse tamquam præceptivam citatam Regulam. *In dubiis via tutior est eligenda*, sed veluti consilium, quod non semper præstat amplecti. Idque docet pariter, & quidem expresse de eadem Regula loquens, S. Antoninus in summa I. Parte, capite 10. dicens: *Eligere viam tutiorem consilii est, non præcepti*. Sed ut clarius in re difficili, & gravibus plena periculis, veritas appareat. Duplex dubiorum genus distinguimus, juxta Doctorum omnium sententiam. Hic de dubio loquimur *positivo*, quod ex æqualibus hinc inde oppositis rationibus nascitur; non vero de dubio *negativo*, quod proprie *dubium* non est, sed vere *inscitia*, per quam ne-

mo rationabiliter agens, movetur). Dubium itaque, aliud *juris* distinguitur, aliud *facti*: Primum contingit, quando ob veras hinc inde rationes dubitatur, an existat lex aliqua, vel præceptum: dubium autem facti est quum dubitatur ob oppositas hinc inde caussas, an factum aliquod, seu actio in nota aliqua Lege, vel præcepto comprehendatur. In *dubiis juris*, juxta communem Canonistarum, & Theologorum moralium doctrinam, non tenemur generatim, vi rigorosi præcepti, sequi partem *tutiorem*; ut aperte colligitur ex cap. 18. de *sententia* Excommunicationis in sexto, ubi dicitur; non teneri aliquem se habere ut Irregularem, quando dubitat, an actio, a se facta, inducat, nec ne Irregularitatem; quia Lex dubia incerta est, & Lex incerta, utpote non satis promulgata, non obligat. Ita communiter etiam rigidioris sententiæ Doctores propter rationem adductam; ut inter alias videri potest P. Antoine Tract. de Censuris cap. 5. de Irregularitate quæst. 6. In dubiis autem facti (quod etiam de dubiis juris quandoque valet, ut infra). In dubiis inquam *facti*, *tutior pars est eligenda*, sed non semper ex rigoroso præcepto. Ubi est gravis alicujus damni pe-

riculum; tunc utique *tutior pars est eligenda* ex rigoroso præcepto: minime vero ubi nullius gravis damni periculum urget. In administratione Justitiæ commutativæ, vindicativæ & distributivæ, tutior pars est sane eligenda, quia alias periculum foret grave damnum inferre Proximo: ideoque merito in Lege dicitur: *In dubiis potior est conditio possidentis* quia possessio tutiorem reddit conditionem illius, qui illa potitur. *In dubiis favendum est Reo*; quia tutius est non punire. Hinc etiam jure, meritoque damnata fuit Propositio, quæ docet, posse *Judicem judicare secundum probabilem sententiam*, relicta *probabiliore*: quia periculum esset, grave damnum inferendi Personæ, cui potior favet ratio. Tum damnata hæc altera, quæ dicebat, *licere in Sacramentis conferendis sequi opinionem minus probabilem relicta tutiore de eorum valore* (vide has propositiones infra relatas num. 40.) quia hac in materia periculum est exponendi Sacramenta, magna cum eorum injuria, nullitati, et fraudandi in re gravissima, ut in Sacramentis mortuorum, Eucharistiæ, Ordinis, & Matrimonii, Fideles, qui bona fide accedunt ad illa. Quando autem nullum imminet gravis damni periculum,

si in dubiis tutior pars non teneatur, tunc equidem præceptum non urget seligendi partem tutiorem, quia ad summum tunc frangeretur lex, quæ tamen, utpote obscura, non satis proinde promulgata, non obligaret. Ergo eo in casu agendum juxta illa juris principia supra num. 29. relata; quod nempe *in obscuris*, uti dubia sunt, *minimum (idest minus difficile, vel quod magis placet) est sequendum* = tum = *Odia restringi, favores convenit ampliare* = Sed lex, ut patet, odium est; & favor libertas: quæ proinde in casu, juxta datum principium, præstat ampliare. In dubiis denique favendum est Reo; & possidenti, ut supra. At quæso, quis reus est in datis dubiis? sane qui tenetur ad Legem: jam hinc evidenter consequitur, in dubio Legis, non Legi favendum bene vero illi, qui teneretur ad Legem. Et quis nostrum revera in dubio etiam facti aliquem damnaret sine gravi Christianæ caritatis læsione? Et tamen non magis Proximum, quam nos, sed ad instar nostri, diligere debemus. Ergo si in dubio etiam facti non deberemus ad datam Legem Proximum nostrum perstringere; neque nos ipsos certe ad eam coarctare tenebimur. Deductio est

evidens, quæ propterea est omnino tenenda. Et hac forte permota, aliisve supra indicatis rationibus Glossa citata a Bonac. de Irreg. dis. 7. qu. 1. p. 3. 5. P. Piselli Part. 2., & 3. Tract. 5. car. 5. pag. 340. in Caput ad *audientiam* de Homicidio docet, vides in dubio facti, ut quum quis dubitat se commississe actionem, cui adnexa est Irregularitas, non teneri se habere, ut Irregularem, si adhibito prudenti examine, adhuc perseveret in dubio. Excipit tamen dubium solius Homicidii perpetrati: quo permanente, vult Pontifex, ex eodem capite *ad Audientiam*, ut dubitans abstineat a Sacrorum Ordinum exercitio: idque forte, ut Homicidii horror crescat, & ob majorem Sacrorum Ordinum reverentiam. In aliis autem aliorum actionum dubiis, tale præceptum non urget, sed nudum consilium, ut satis abunde a primo ad ultimum datæ responsionis invicte monstratum censemus: Sed animo semper in stricto rigore Legis loquendi, non vero ad removendum studium optimum sectandi consilium, quod monet, in nostris praesertim dubiis facti; partem tutiorem, si expediat esse tenendam. Sacerdos autem, de quo loquitur Papa Innocentius, male egerat; quia

audiens in se latam excommunicationis sententiam, antequam ad Sacramenta accederet, diligenter exquirere debebat factæ sibi narrationis veritatem; Non diligenter quæsivit: Ergo jure reprehensus. Quod vero non debitam diligentiam præmiserit, ex eo innotescit, quia secus argumentum nimis probaret: ostenderet enim *in Juris* pariter *dubiis* tutiorem partem esse tenendam; quod tamen, concedentibus Adversariis ex adductis, falsum est. Nam dubium de lata in se excommunicatione, est dubium de existentia latæ Legis pænalis, ideoque est dubium juris: in quo propterea dubio nulla profecto reprehensione dignus fuisset noster Sacerdos, si prudenti examine habito, adhuc permanente dubio, eoque proinde prudenter deposito ad Ecclesiæ Sacramenta accessisset. Si ergo reprehensus fuit, signum est manifestum, ab eo præmissum minime fuisse requisitum examen.

Adde responsa Romanorum Pontificum, ad piorum præsertim Sacerdotum, & Religiosorum petitiones facta non semper statui posse pro rigorosa Regula actionum, etiam sub gravi constringente, uti sunt eorum Decreta, num. 27. & 28. aliaque, re prius *mature discussa*, ab ipsis prolata.

Tum quia ea Responsa data fuere secundum varias circumstantias, quæ non omnibus innotescunt. Tum etiam, quia in talibus Responsionibus non semper Pontifices, cum indicatis potissimum Personis, quas ad perfectionem expedit excitare, juxta rigorem Legis loquuti sunt; sed secundum Regulam *boni Consilii*, ad tutiorem partem eos flectendo, dum de præteritis præsertim actionibus agebatur, ac de salutaribus subeundis pœnis. Tum, ut eos magis cautos redderent ad vitanda peccata, tumque ut solertius illos promoverent ad exercitium virtutum. Argumentum ergo ex data Pontificis Responsione, licet nos revera urgeret, quod tamen jure negavimus; tantæ efficaciæ non foret, sicuti est illud a nobis in Responsione nostra, & Probationibus ex solemnibus eorundem Pontificum decretis productum.

34 At iterum urgebis. Ex mente præclari Ecclesiæ luminis S. Augustini, expressa lib. 1. cap. 9. de Baptismo contra Donatistas, = *Quis graviter peccaret in rebus ad salutem Animæ pertinentibus, vel eo solo, quod certis incerta præponeret*: Sed opinio tutior vel probabilior est certa; probabilis vero incerta; Ergo redit semper difficultas: Ad quam tamen

35 Respondemus distinguendo. Peccatum est vere certis incerta præponere, ut in proposito S. Augustini conc., non vere certis, ut in proposito Probabilioristarum negamus; & negata minori, negamus etiam consequentiam. In primis magis credimus Romanis Pontificibus ex Cathedra Dogmatizantibus, quam uni Sancto Patri, licet insigni, quia hic errare potuit, ut in pluribus accidit S. Augustino, qui proinde Librum edidit Retractationum; non vero dicti Pontifices, ut fere omnes Catholici, & ipsi Adversantes fatentur. Ergo si ex relatis factis, Summi Pontifices declaraverunt licitum esse in Fidei, & morum controversiis, ab Ecclesia non definitis, unam, vel alteram oppositam opinionem tenere, quin tutiorem, vel probabiliorem sequendam præcipiant, imo sub gravissimis pænis vetando, ne quis unam, vel alteram sententiam veluti erroneam criminari valeat, antequam de illis suum proferat Ecclesia judicium; hoc nobis sufficit, ut merito sententiam nostram tueamur, esto Augustinus esset nobis contrarius.

Cœterum contrarius non est, etenim citato in loco S. Doctor loquitur de uno, qui anceps erat, num recipere liceret Baptis-

mum in parte Donati; & erat certus in parte Catholicorum licere ipsum recipere; Ergo non loquebatur in sensu probabilioristarum de concursu duarum oppositarum opinionum, quæ ambæ incertæ sunt, licet una probabilior altera videatur. Qua in re cavenda nimis est fallacia minoris Propositionis Argumenti, quæ falsa est. Propositio enim probabilior, & tuta est semper incerta. Itaque S. Doctor loquitur de concursu doctrinæ certæ cum opposita incerta, quæ necessario debebat esse falsa; cum verum vero non opponatur; licet incertam eam appellet, quia ad hominem loquitur. Et quod hoc in sensu loquatur, patet; ait enim sermonem de eodem illo, de quo in Argumento, faciens: *Hic ergo* (idest apud Catholicos) *securus accipiat, ubi & esse, & accipi recte securus est*; *illic* (idest in parte Donati) *autem non accipiat, quod esse quidem dicunt, sed ibi accipiendum non dicunt, quorum sententiam decrevit eligere: quamquam etiamsi dubium haberet, non illic recte accipi, quod in Catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem Animæ pertinentibus, vel eo solo, quod certis incerta præponeret*. Certissime ergo Augustinus loquitur de concur-

su certi cum incerto, ideoque falso: non vero de incerto cum incerto, ac proinde Augustini loquutio toto cælo distat a nostra sententia.

36 Replicabis. Sententia tuta est certa, alias non esset tuta; Ergo redit Argumentum Augustini, ut non liceat sententiam probabilem, utpote incertam præponere tutæ, utpote certæ.

Idipsum de probabiliori dicendum; hæc enim respectu minus probabilis est certa, quia magis certa, quam illa. Ad quæ tamen

37 Respondemus & primo ad I. dist. antec. Sententia tuta est certa, quia non prohibita conc. quia semper vera neg. antec. & conseq. Sententia ex gr. quæ diceret nihil sumendum a jejunantibus in sero tuta esset, & hac ratione est certa, quia eam sequens, certe jejunium non frangeret. Sed non esset certa, quia vera; nam verum est oppositum; quod nempe liceat ex Ecclesiæ indulgentia jentaculum in sero jejunantibus sumere. Ergo hæc sententia licet tuta, ideoque ex hac parte certa, quia non Legi opposita; esset tamen non certa certitudine veritatis, quia falsa. Idipsum sæpius accidit tutis sententiis. S.

Augustinus autem, ut ex adductis patet, loquebatur de sententia certa certitudine veritatis, quæ sola constringit.

Deinde Argumentum nimis probat; probat enim sequendum *tutiorismum*, sententiam nempe tutam, alia etiam probabiliore relicta, quod naturali, divino, Ecclesiasticoque jure falsum est, & communi Doctorum consensu. Naturali, quia tuta sæpe, ut vidimus, est falsa: Divino etiam, quia Machabæorum I. cap. 2. laudantur, qui cum Mathatia die Sabbati, necessitatem agnoscentes, pugnarunt contra Gentiles Aggressores, licet die Sabbati bellum aliunde vetitum esset. Et despiciuntur ii, qui pugnare contra Aggredientes ea die noluerunt, ut tutam sententiam tenerent. Ecclesiastico demum, quia in Jure Canonico Capite *Ego solis*, habetur: *Conjugem debitum reddere posse viro, cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, et discreta, quamvis non evidenti, et manifesta*: Hinc merito Alexander VIII. hanc num. 3 Propositionem damnavit. *Non licere sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*: Et revera, Ecclesia continua praxi non tutam, sed probabilem sententiam sequitur, quia ex sola hominum as-

sertione, quæ moralem tantum certitudinem, idest probabilitatem parit, non certitudinem tutam, sacros Ministros suscipit; ab ipsis facta Sacramenta veneratur; reos punit, vel absolvit: quod & Curia peragit Sæcularis. Qua de re apud Patres, & Doctores omnes: *Certitudo, quæ requiritur in materia morali; non est certitudo evidentiæ, sed probabilis conjecturæ;* ut refert, & docet S. Antoninus I. parte. Tit. 5. c. 10. §. 10.

Ad secundum autem negamus probabiliorem sententiam dici posse magis certam respectu sententiæ minus probabilis; quia utraque semper incerta est; & ut incerta cognoscitur. Ergo si etiam probabilior incerta est, & ut incerta cognoscitur, eam relinquere licebit & minus probabilem sequi eo principio, quod in casu, Lex incerta est, & Lex incerta non obligat, ut ex tot, tantisque factis, supra relatis, Ecclesia ipsa monstravit, & expressius ex adductis num. 29. innotescit. Nec officit, quod sententia probabilior minus incerta appareat altera; Nam hujusmodi apparentia fallax est, & sæpe inconstans; quod enim nunc probabilius, postea non raro apparet minus probabile; & quandoque etiam falsum. Ergo hujusmodi appa-

rentia non potest esse ratio sufficiens obligandi ad eam sequendam sub culpa Lethali; alias eadem vis esset certitudinis veræ, & probabilitatis fallacis, quod falsum est; Ac proinde, sicut apparentia minoris incertitudinis in materia Fidei non obligat sub lethali ad sequendam opinionem magis probabilem ex supra probatis num. 26. & sequentibus; ita nec in materia morali.

38 Ulterius replicabis: S. Augustinus lib. 3. contra Academicos cap. 16. absolute refutat illud Academicorum principium quod dicebat: *Qui sequitur in agendo probabile, non errat, neque peccat*: Ergo ideo docet peccatum esse certis incerta præponere, quia licitum non censet sequi probabile, præsertim in conspectu probabilioris. Sed

39 Respondemus distinguendo. Augustinus illud refutat principium in sensu Academicorum conc. in sensu nostro nego. Academici illud omne probabile reputabant, quod ab aliquo tamquam licitum haberetur; & quoniam nullum vere facinus invenitur, quod suos non habuerit, vel habeat patronos; revera enim Catilina, teste Sallustio, licitum suadebat Patriæ parricidium. Cumani Adulterium; sic

alii alia crimina, ut ex hæresum historia præsertim innotescit; ideo nullum fere facinus esset, quod hoc sensu dici non posset probabile. Ergo jure, meritoque hoc in sensu Augustinus, tum citato loco; tum etiam in Lib. de Civitate Dei principium illud prosternit. Non autem prosternit sensu nostro, quando nempe probabile, vere probabile est, firmis innixum rationibus, & a Catholicis Theologis, sciente, nec reprobante Magistra veritatis Ecclesia, proponitur, ac defenditur. Imo expresse a culpa excusat illum, qui hoc sensu probabile sequitur, ut manifeste apparet tum Lib. adversus Donatistas de Baptismo num. 29. ubi excusat S. Ciprianum, qui contra monitionem S. Stephani Papæ sequutus est sententiam, certe etiam tunc minus probabilem, quia contrariam Traditioni Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ, ac Supremo Ecclesiæ Capiti, de rebaptizzandis Hæreticis: cumque ideo excusat, quia contrarium ab Ecclesia tunc definitum non erat: et aliunde, quia sententiæ suæ octingenti fere Episcopi adhærebant. Tum etiam Lib. de Adulterinis conjugiis cap. 26; ubi laudat opinionem quorumdam; qui affirmabant non esse Cathecumenum in mortis articulo ba-

ptizzandum, eo quia nitebantur hac Christi sententia, videlicet: *Nolite Sanctum dare Canibus*. Licet ipse contrarium teneret, ac doceret, quia Salvatoris sententia locum non habet, ut facile innotescit, in Cathecumenis, quorum nota est voluntas profitendi Religionem Christianam. Ergo ex his, aliisve clare inotescit, S. Augustinum non respuere, sed admittere in nostro sensu probabile.

Cæterum iterum recurrit responsio num. 35. primo loco adducta.

40 Ultimo dices 1. Spiritus Sanctus Ecclesiastici c. 37. v. 20. monet ut: *Ante omnia opera Verbum verax præcedat te; et ante omnem actum judicium stabile*: 2. Et ita sane vera dictat Prudentia, sine qua actio omnino reprehenditur. Sed opinio probabilis, ab opposita probabiliori imminuta, atque concessa, nec verax dici potest, nec stabilis; ergo eam sequi non licet. 3. Et revera non ne imprudens esset, ideoque culpandus, qui ad Patriam ex. gr. pergere constrictus ad bivium veniens, minus probabilem viam seligeret, probabiliore relicta? 4. Equidem probabile coram probabiliore speciem falsitatis præfert; quum veritas una sit, nec verum detur oppositum

vero. Sed quod falsitatis speciem præsefert, habet etiam speciem mali, a qua abstinendum præcipit Apostolus I. ad Thessalonicenses cap. 5. dicens: *Omnia probate; quod bonum est, tenete, ab omni specie mali abstinete vos*: Ergo &c. 5. Et hac utique de causa putamus, sapienter Ecclesiam in administranda justitia, & in Sacramentis conficiendis probabiliorem sententiam tenendam statuisse. Innocentius enim XI. sequentes damnavit Propositiones, videlicet n. I. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis*: Altera num. 2.: *Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem*: Quod si autem in materia justitiæ, & Sacramentorum expresse hoc definitum est; deductive hinc definitum dicere debemus etiam in aliis materiis; cum non potior in illis, quam in istis ratio esse videatur. 6. Eo vel maxime, quod Summi Pontifices, non ut privati Doctores, sed uti Capitis Ecclesiæ Personam gerentes, pluries generatim sequen-

dam, ac propugnandam mandarunt opinionem magis probabilem, minus probabili postposita. Sic Alexander VII; sic præsertim Innocentius XI.; qui suo speciali Decreto anno 1687. edito, præcepit P. Tyrso Gonzalez Generali Societatis Jesu, ut libere, ac intrepide prædicet, doceat, & calamo defendat opinionem magis probabilem; nec non viriliter impugnet sententiam Asserentium, licitum esse sequi opinionem minus probabilem in concursu probabilioris sic cognitæ, & judicatæ, nec ullo modo Patribus Societatis permittat scribere pro opinione minus probabili; & impugnare sententiam asserentium, licitum non esse sequi opinionem minus probabilem in concursu magis probabilis, sic cognitæ, & judicatæ = Sic Benedictus XIII.; qui in Concilio Romano regulam tradens resolutionis casuum Conscientiæ quolibet mense faciendæ, inquit = *Præfectus casum propositum definiat ejus Doctrinis, quas veriores, magisque fundatas judicabit*. Sic denique Benedictus XIV. tum in sua Enciclica pro anno Jubilæi; tum in Epistola de Usuris. Quid ergo deficit, ut ab Ecclesia dicamus saltem deductive definitum in nulla materia licitum esse sequi opinionem

minus probabilem, probabiliore relicta? 7. Quod si Pontifices in Casibus citatis num. 11. 12. 13. 14. 15. 27., & 28. non reprobarunt, nec reprobandos voluerunt Sectantes sententiam, quæ tum ipsis, tumque plerisque minus probabilis videbatur; hoc egerunt & pacis *motivo*, ad Schismata in Ecclesia vitanda, & quia credere poterant præfatas sententias, quæ ipsis minus probabiles videbantur, probabiliores *objective* suis defensoribus apparuisse: qua in supposition damnandi non erant, quia opinionem tuebantur eorum respectu magis probabilem. 8. Demum admissa hujusmodi doctrina, innumera mala, & absurda in Ecclesia profluerent, ad spiritualem Animarum perniciem; ut revera elapso XXVII. præsertim Sæculo, profluerant ob tot, tantosque mores, atque consuetudines eo tempore invectas; quæ nunc communiter veluti corruptelæ habentur, nec non ob multiplices laxas doctrinas, tunc pariter inductas, quarum plures debuit Ecclesia ipsa solemniter proscribere, ut has, idest sequentem num. 27. ab Alexandro VII. damnatam, quae dicebat: *Si Liber sit alicujus junioris, et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam es-*

se a Sede Apostolica tamquam improbabilem. Tum alteram num. 3. ab Innocentio XI. reprobatam his terminis expressam: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quamtumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus; semper prudenter agimus*. Tum alias multas, præsertim circa tactus impudicos inter diversi Sexus Personas, non Matrimonio junctas; ac circa mentales restrictiones &c. Hujusmodi, inquam, perniciosa dogmata, vel his similia, moresque pravi, ac reprobandæ consuetudines ex data sententia profluxerunt. Quia non deficiunt certo rationes, vel potius Sophismata ad jura Libertatis magis magisque laxanda; Nec pariter aliqui deficiunt Auctores (ut & num. 34. dictum est), qui aliquo modo, saltem minus probabiliter licitum non ostendant quodcumque flagitium. Ergo & ne hujusmodi pestifera mala, & absurda sequantur, & ob alias gravissimas rationes, superius indicatas, dicendum revera est, numquam sine culpa, etiam lethali in re gravi, licere sequi opinionem agnitam, ut minus probabilem, probabiliore relicta. Hæc Probabiliorista. Verum ad ista sic

41. Respondemus. Et primo ad 1.

& 2. Spiritus Sanctus citato loco monet, ut unusquisque in agendo sincero corde veritatem exquirat, ac stabile judicium sectetur; & ita vera dictat Prudentia, ne illum imitetur, qui vel: *noluit intelligere, ut bene agat*. Quemadmodum dicitur Psal. 35. vel tantum *placentia* quærit, ut suis indulgeat voluptatibus. Et hoc sane modo faciendum, nos ipsi pluries superius diximus num. 18. 33, ac rursus modo docemus. Negamus tamen minus probabilem opinionem, quando vere probabilis est, modo numero 9. expresso, tum etiam num. 33. stabilem non esse doctrinam in conspectu probabilioris, quum & ipsa sententia sit firma, & stabilis, ut numero 9. & 37. circa finem aperte monstravimus.

Ad 3. pariter negamus, imprudentem illum vocari, qui ex duabus viis, juxta datam hipothesim, minus probabilem arriperet. Sciens enim firmo, stabilique fundamento, utramque viam probabiliter ad Patriam ducere, & aliunde videns, quod quæ probabilior videtur, sibi est difficilior; neutiquam imprudenter ageret, si ad majorem difficultatem vitandam, minus probabilem eligeret. Imprudens esset si im-

probabilem eligeret; at prudens foret, si vere probabilem; & prudentior, si absque certo mali periculo, probabiliorem arriperet: Sed prudentius agere consilium est, & prudenter agere præceptum; Ergo &c. (vide dicta num. 9., & 33.) Adde, quandoque occurrere, ut nequeat quis probabiliorem partem tenere, sine gravi sui vel Proximi certo periculo. Ergo in casu, potius prudentius videretur sequi minus probabilem partem, ad certum malum vitandum: ut certum incertis præponat. Demum ut res evidentius appareat, illustretur exemplo. Qui Mare trajecturus, naviculam eligeret, ingenti navi posthabita, imprudens non esset, nec graviter peccaret, quia utraque navis satis secura est ad Mare trajciendum, licet ingenes navis sit navicula securior; ita ergo in casu nostro (3).

Ad 4. iterum negamus, sententiam minus probabilem, ut ex dictis etiam nu-

(3) Quod de navibus dicitur, aptius dici posset de Medicaminibus; inter quæ datur, quod vere probabiliter. quod probabilius. quodque parum probabiliter aptum ad medendum videtur, imprudentia foret eligere ultimum, Sed minime nonel igere primum si fiat ad evitandum grave dispendium pro electione secundi, quod sane prudentius esset eligere. Ita communis omnium consensus.

mero 37. ad 2., speciem falsitatis præseferre; Nam speciem potius veritatis præsefert, ad differentiam improbabilis, quæ speciem exhibet falsitatis. Et licet opinio probabilior majorem ostendat veritatis speciem; attamen, & ipsa, quia certa non est, semper formidinem ingerit de opposito; ac proinde minime destruit speciem veritatis in opinione minus probabili: Qua de re operans in conspectu eorum positus, semper incertam Legem inspicit, etiam ex parte probabilioris; sed Lex incerta ex dictis n. 29. 33., & 37. &c. non obligat. Ergo &c.

Apostolus autem vel accipit *speciem* philosophico sensu, adeout teneamur abstinere non a malo cujuscumque *speciei;* & nihil in casu contra nos. Vel per *speciem* intelligit apparentiam: & tunc dicimus, ipsum loqui de illa rationabili mali apparentia, quæ reperitur in *improbabili* sententia, a qua & nos abstinendum affirmamus: Non vero de quacumque etiam levi apparentia mali; nam alias tenendus esset *tutiorismus*, quod falsum est, ex dictis num. 37.; Quia etiam in probabiliori sententia aliqua mali apparentia, seu formido reperitur. Ad 5. dicimus, non teneri nos, in primis, ignaros discipulos, ra-

tionem assignare, cur Magistra nostra Ecclesia, divino lumine directa, ex duobus, quæ videntur nobis similia, unum damnavit, non alterum, æque ipsi manifestum. Ergo sufficiat nobis scire, Ecclesiam vetasse sequi minus probabile in Sacramentorum & justitiæ administratione; non autem in aliis materiis, ut sciamus illud esse illicitum, non istud.

Verum, & aliqua hujus discrepantiæ apparet sufficiens ratio: enim vero, Ecclesia in Sacramentis sollicita est de reverentia erga ipsa, ac de fructu eorum in gratiam suscipientium. Ergo curare debet, ut securius perficiantur. In justitiæ administratione pariter solicita est, ne aliquis injuste puniatur, vel ut res, quæ in suspenso relinqui nequit, illi detur; cui competit; Ergo curare pariter debet, ut securius legale feratur judicium. In aliis autem materiis, de quo, amabo, sollicita esse debet Ecclesia? Dices, *de Legis observantia?* At ut pluries dixi, nunc replico: Lex in casu, incerta est, non satis nota; sed lex incerta, non satis nota, vera Lex non est, nec obligat, ex probatis n. 29. & ex repetitis alibi; sicut fides incerta, vera fides non est, neque constringit. Ergo de istis aliis

materiis parem sollicitudinem habere non poterat, & propter hanc forte caussam non vetuit, sicut in Sacramentorum, & Justitiæ administratione sequi minus probabile, probabiliori relicto. Vide quæ fusius diximus num. 33. circa medium, post illa verba, *sed ut clarius*, tum quæ notanda, infra dicemus ad ultimum.

Ad 6. Respondemus, mirari nos hæc proferre adversantes, cum certum sit apud omnes, Romanos Pontifices nunquam præsentem controversiam expresse diremisse, expresse prohibendo sequi minus probabilem opinionem, probabiliori relicta, nisi in duabus materiis supra indicatis Sacramentorum, ac justitiæ. Imo ex eorum factis, citatis num. 11., 12., 13., 14., 15., 27., & 28. prohibere potius videntur, asserere contrarium, ut satis ibi monstravimus. Quod si illud expresse prohibuissent, sicut in duabus citatis materiis; actum tunc esset, nec auderemus contrarium dicere; sicut non dicimus in citatis materiis; quia Christiani Theologi hoc proprium esse debet, Ecclesiam scilicet libenter audire, ejusque obsequenter acquiescere definitionibus, atque mandatis. Laudati ergo Pontifices citatis in locis purum dant consi-

lium, adhortationemque, ut nempe probabilior proponatur, tueaturque sententia. Quod & nos damus, dandumque diximus num. 18, & 33., ea tamen modestia, ut non audeamus lethalis culpæ reum damnare illum, qui in re gravi, minus probabilem, sed vere probabilem, opinionem præponit, ac sequitur, probabiliore relicta. Et hanc sane modestiam non proprio marte, sed ex factis, dictisque aliorum Summorum Pontificum dogmatizantium, num. 11., & 13. relatis hac in re sequendam dicimus. Tum etiam ex manifesta doctrina in objectione citati Summi Pontificis Benedicti XIV. qui in celeberrimo suo opere de Synodo Diœcesana a se Pontificatus tempore reviso, atque iterum edito, centies ut ita dicam Episcopos monet, ne aliquid statuant in iis quæstionibus fidei, vel morum, ab Ecclesia non definitis, ut = an Beneficiati sint Domini, vel simplices administratores Fructuum Beneficii, = An liceat eodem die dare Eucharistiam ægroto, qui sanus eam mane suscepit, = in iis inquam, aliisve similibus quæstionibus Episcopos monet nihil statuendum, quia hinc inde, ut ipse ait, a gravissimis Theologis *impune* propugnantur (4).

(4) Suppositirium reputatur a pluribus adductum Innocentii XI. mandatum Tyrso Gonzalez i-

Nec officit, quod illi in difficultate propositi tamquam Pontifices loquantur; nam alia est locutio Pontificis (idem de Conciliis) dogmatizzantis; alia simpliciter disserentis; dogmatizzat, quando, ut Ecclesiæ caput, aliquid expresse definit, damnando contrarium; alias simpliciter disserit; Verba dogmatizzantis excipienda omnino sunt, ut Fidei, vel morum regulæ, quia cum Spiritus Sancti assistentia certe prolata; alia autem disserentis non ita rigorose; Ad Sacræ Scripturæ differentiam, in qua omnia verba sunt revelata. Ergo cum ibi citati Pontifices non dogmatizzent; nec eorum verba proinde absolute constringunt.

Ad 7. Falsum omnino esse dicimus, Pontifices, num. 11. 12. 13. citatos, ideo non reprobasse, nec reprobandos voluisse sectatores illius sententiæ, quæ eisdem Pon-

injunctum. Tum quia inopportunum fuisset eo, quod Societas in eadem ipsa Generali Congregatione Anni 1687. in qua citatus Tyrsus electus primo fuit Præpositus Generalis, statuerat speciali quodam decreto, quod decimum octavum est, licere Patribus Societatis, utramque partem præsentis de probabilibus opinionibus controversiæ tueri. Tum pariter quia posterius factum sine Pontificum quærela, ejus falsitatem patefacit. Sed parum refert, verum ne fuerit aut falsum illud mandatum ob adductas supra & adducendas rationes.

tificibus minus probabilis videbatur, quia nempe credere poterant, easdem Sententias suis Sectatoribus probabiliores apparuisse. Id inquam, falsum omnino est; nam laudati Pontifices in suis ipsis decretis rationem exprimunt, cur ita egerunt, quia videlicet *nihil hac in re Ecclesia definierat*. Ita expresse Paulus V. in sua Bulla *Regis Pacifici* n. 14. & 15. Ita Alexander VII. in sua Bulla *Sollicitudo* anno 1661. circa mysterium Conceptionis B. V. Mariæ emanata. Hæc est ratio, quæ adducitur, & hæc credenda. Eo vel maxime, quod ibi Pontifices eorum prohibitiones non extendant ad tempus, donec *probabilior* sententia appareat; Sed *donec a S. Sede definitum fuisset, quid in illis controversiis esset tenendum*. At in præsenti controversia nihil a S. Sede definitum est; & cur ergo audent Adversantes Ecclesiæ Cathedram invadere ejusque auctoritatem, ut lethalis culpæ illos reos accusent, qui in re gravi Sententiam minus probabilem, sed vere probabilem tenent atque tuentur?

Nec laudati Pontifices sese abstinuissent ab indicata damnatione solius pacis *motivo*, et ad Schismata vitanda, si erroneum putassent sequi minus probabile. Nam

in primis Schismatis periculum non apparebat. Deinde, quia Ecclesia, superno lumine directa, non inani timore compescitur, imo nec Sæculi Potestates, nec Inferni molimina veretur, ut ex tot, tantisque ejus damnationibus peractis apparet, quando agitur de erronea doctrina tollenda, & præsertim de tali doctrina, quæ si falsa fuisset, quotidie nulla redderet, & sacrilega Sacramenta, & innumeras perderet animas. Male igitur, & contra intemeratam Ecclesiæ fortitudinem Adversarii argumentantur. Ad ultimum. Falsum pariter est, ex nostra Sententia ea sequi mala, & absurda, quæ Adversantes objiciunt. Nec enim nos etiam *leviter* probabilem sequendam dicimus opinionem in conspectu vere probabilis; Sed contendimus *leviter* probabilem, tamquam improbabilem respuendam quidem esse, ut ex damnatione duarum relatarum in Objectione Propositionum non obscure eruitur, & ut recta ratio & vera dictat Prudentia. Dixi non obscure eruitur, quia dictæ Propositiones damnatæ inveniuntur *ad minimum tamquam scandalosæ*, non vero expresse, *ut falsæ, in se erroneæ, vel hæreticæ*, ut inde clare, & manifeste deducatur, illud verum esse, quod eisdem di-

recte opponitur Propositionibus. (Quod & de Propositionibus damnabis, & relatis n. 40. in principio notandum, ac de aliis non propria censura, sed in globo proscriptis) Et unice propugnamus, licere sine culpa sequi opinionem vere probabilem modo num. 9. exposito, esto contraria opinio probabilior videatur.

Neque nostra sententia viam aperit erroribus, atque flagitiis; nam hæc, in primis, veras rationes non habent, non stabilia fundamenta, quibus vere probabilia appareant. Quod si forte alicui talia apparerent, & iste inculpate deciperetur, sincero corde putando vere probabile, quod tale non est; Nil mirum esset; quum hæc sit conditio naturæ corruptæ. Nec iste autem in tali casu culpandus esset, nisi vel ex evidenti ratione, vel ex Ecclesiæ auctoritate detecto errore, in illo persisteret. Errarunt Viri doctrina, pietate, ac dignitate eximii; & forte in eo quod ipsis probabilius videbatur, sectando; puta Origenes, Tertullianus, Augustinus, aliique innumeri; sed non arguitur, nec damnatur Augustinus; & quare? quia errore detecto, illum deseruit, ac emendavit. Damnatur autem Tertullianus, & quotquot fue-

runt Hæretici, quia detecto per Ecclesiam errore, perstiterunt in ipso, nolentes Ecclesiam audire. Eam prompte audivit vir undequaque insignis dominus de Fenelon Cameracensis Episcopus, qui labente XVII. Sæculo, Quietismi accusabatur a doctissimo Episcopo Bossuet, primo privatim, litterario certamine; ac tandem apud Summum Pontificem Innocentium XII. Et quia Pontificis audito oraculo, prompte, ac publice vir ille pius scripta emendavit; ideo laudabilior, ac gloriosior evasit, quam si nunquam errasset. Ergo licet quis forte aliquando erraret, minus probabilem, sed vere probabilem partem tenendo; culpandus tamen non esset, nisi errore, ut diximus, detecto, in illo persisteret; Ideoque non illa ex data sententia sequuntur mala, & absurda, quæ Adversantes objiciunt.

42. Probatur ultimo nostra Sententia.

Ex adverso autem vera, & manifesta ab eorumdem Adversariorum doctrina certissime scatent absurda: &

1°. Lethalis culpæ periculo obnoxii essent Doctores, & Magistri insignis Ordinis Prædicatorum, qui jurejurando in suscipienda Laurea Doctorali sese obstringunt sequendi, tuendique omnes, etiam in mate-

ria morali, S. Thomæ Aquinatis doctrinas. Eo, inquam, seipsos periculo exponerent; quia impossibile est, ut omnes S. Doctoris Sententiæ cunctis illis, diverso ingenio præditis, ac diversis, in Scholis primo forte enutritis, tamquam probabiliores appareant coram oppositis aliorum Doctorum Sententiis; Sicut revera ex illis aliquæ multis apparent minus probabilis. Nam sese exponerent certo periculo vel pejerandi, vel sequendi, ac tuendi id, quod, utpote minus probabile, sine lethali culpa in re gravi sequi, ac tueri nequirent. 2°. Indolentiæ saltem, nimis culpandæ, accusanda foret Ecclesia, quæ publice doceri, ac sequi permittit in Fidei, & Morum materia tot oppositas sententias, quarum plures certissime minus probabiles apparent. Imo quia ipsum probabilismum publice tueri, ac sequi, sine expressa prohibitione permittit. Tum etiam errassent, & errandi saltem offendiculum dedissent Summi Pontifices Urbanus IV., Innocentius VI., Joannes XXII., Sixtus V., aliique Pontifices, qui Summam Sancti Thomæ, scripta S. Bonaventuræ, Scoti Doctrinam, aliorumque generatim ita commendarunt, ut *inoffenso pede* quisque ea percurrere valeat. In iis enim diversis

operibus, quum plures sint sententiæ invicem oppositæ, etiam quoad morum doctrinam, necessario proinde videri debebunt legentibus opiniones quædam minus probabiles, quas *inoffenso pede* minime sequi liceret.

5°. Tandem in Disciplinæ regimine, ac etiam in administratione Justitiæ impossibile est, ut semper Pontifices, Reges, Episcopi, aliique inferiores Prælati, vel Judices id statuant, vel præcipiant, quod cunctis eorum subditis certo, vel probabilius licitum apparet. Legum enim in aliquibus obscuritas; variæ, & oppositæ etiam earumdem interpetrationes, ac varius demum hominum intelligendi modus; ita ut in obscuris illud semper dicendum occurrat pervulgatum, *quot nempe capita, tot sententiæ*; necessario efficit, ut non semper Subditis id probabilius appareat, quod tale Superioribus videtur. Ergo in iis casibus, data Adversariorum Doctrina, non solum liceret, sed insuper tenerentur subditi suis superioribus non obedire; imo resistere: præsertim si scirent Superiores benignioris esse doctrinæ. Hoc autem admisso, actum esset de recto, & quieto Subditorum regimine; de ordinata Religiosorum, aliorum-

que Ecclesiasticorum disciplina, de Reipublicæ pace, quia quilibet, potissime doctus sua teneretur, ac proinde vellet probabiliora sequi judicia. Vix, ne vix quidem locus amplius esset humilitati, docilitati, ac modestiæ Christianæ, dictanti, nunquam licere Superioribus resistere, vel non obedire, nisi in casibus aperte veritati oppositis, ut egit Paulus, dum restitit in faciem Cephæ (ad Galat. cap. 2.) ut Sophronius Monachus restitit contra Sergium Constantinopolitanum Episcopum Monothelitam: aliique. Sed semper in obscuris Superiorum judicia propriis præferenda sunt, juxta morem Sanctorum. Eliminanda omnino foret expedita, & cæca obedientia, tot, tantisque laudibus a Sanctis commendata, Animabusque anxietatibus, scrupolisque vexatis veluti singulare remedium; & secura moderatrix, ab iisdem sanctis proposita. Sed locus daretur, ac fomes superbiæ, præsumptioni, propriis magis fidendi judiciis, innitendi potius Prudentiæ propriæ; ei nempe magis opinioni, quæ sibi probabilior apparet, quam Doctorum Sententiæ; contra Spiritus Sancti monitum, dicentis Proverb. 3. = Ne innitaris prudentiæ tuæ = quo nil perniciosius in ancipiti

æternæ salutis itinere nil magis noxius reato, & tranquillo hominum regimini; nihilque proximius, ac utilius *privato spiritui* Hæreticorum.

43 Quod si hæc, aliaque prius proposita vere absurda non sunt, vel ex Adversariorum Doctrina non certo dimanant; videant adversantes ipsi, qui forte sapientius intelligent. Nobis, & absurda esse, & utique gravissima, & ab eorum doctrina necessario scatere, non modo probabiliter, sed *probabilius*, ni dicam, *evidentissime* apparet. Qua de re videant ulterius, se teneri habere nos, non solum excusatos, sed insuper dignos encomio, dum eorum placita respuimus, ac reprobamus; quia in re gravissima id modo sequimur, quod ex productis supra rationibus nobis certo *probabilius* videtur, sicut faciendum ipsi censent, graviterque præcipiunt.

44 Quæst. 9. Quid dicendum de iis, qui tamquam lethalis etiam culpæ reos accusant sequentes in morum controversiis ab Ecclesia cognitis, nec definitis, opinionem minus probabilem, sed vere probabilem, probabiliore relicta, extra Sacramentorum, & Justitiæ materiam, juxta doctrinam traditam num. 41. ad quintam Responsionem?

45 Resp. Hoc ipsum, quod num. 29. diximus de illis, qui in similibus Fidei controversiis peccati accusant sequentes minus probabilem, sed vere probabilem opinionem. Ecclesia enim æque Fidei, ac morum sola Judex est, & Magistra. Ergo sicut ejus auctoritatem illi usurpant, qui Fidei controversias inter Catholicos Doctores, ipsa sciente, ac tacente, versantes, dirimunt; definientes, contra Fidem graviter peccare eum, qui datam controversiæ partem propugnat minus probabilem altera: ita Ecclesiæ auctoritatem usurpabit, qui idipsum in similibus morum controversiis docebit. Par in utroque ratio; Ergo & par judicium; ut etiam numero 26. monuimus. In utroque controversiæ genere licet utique unicuique propriam sententiam strenue, viriliterque tueri, & fortiter oppugnare contrariam; sed semper modeste, oppugnando, non criminando, refutando, non damnando; falsitatem ostendere curando, non vero definiendo; quia definire, damnare, & criminari solius est illius, de qua sola Christus dixit Matth. 18. cap. 17. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus;* ut *notorius* nempe *peccator*.

Et Paulus Apostolus scribens ad Timotheum Episcopum cap. II. ait: *Sine disciplina quæstiones devita; sciens quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem; cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati.* Sed ubi est in Quæstionibus disciplina, ubi docilitas, modestia, si absque auctoritate accusatur, damnaturque coram ipsa Ecclesia, veluti reus etiam culpæ lethalis, ille, qui ab eadem Ecclesia ne redarguitur quidem? quique fama etiam sanctitatis in suo sinu quievit, ut inter tot, tantosque celebres, vir vere pius, & Apostolicus, doctrina insignis, sacraque eloquentia singularis P. Paulus Segneri e Societate Jesu: & nostri aevi alter vir piissimus, ac doctissimus, jam inter Venerabiles Dei Servos connumeratus, Dominus Alphonsus de Liquori Congregationis SS. Salvatoris Fundator, & S. Agathæ Gothorum Episcopus.

46 Sed ne plura hac in caussa, quæ unice inter Catholicos movetur, inaniter congeramus; eam nunc satis finitam censemus in celebri Constitutione = Auctorem Fidei = a nuper defuncto Summo Pontifice Sanctæ Memoriæ Pio VI. die 28. Augu-

sti Ann. 1794. ad quasdam proscribendas Propositiones, ac Doctrinas Synodi Pistoriensis, Anno 1786. celebratæ, expresse edita. In hac enim sequens numero 79. Assertio Orationis ad eamdem Synodum §. 2. sic damnata invenitur = *LXXIX. Assertio quæ conviciis, & contumeliis insectatur sententias in Scholis Catholicis agitatas, & de quibus Apostolica Sedes nihil adhuc definiendum, aut pronunciandum censuit.* (Sequitur Damnatio) *Falsa, temeraria, Scholis Catholicis injuriosa, debitæ Apostolicis Constitutionibus obedientiæ derogans.* Atqui sententia, quæ tenet peccatum non esse, & multo minus lethale, sequi etiam in praxi in morum controversiis ab Ecclesia cognitis, nec definitis, opinionem minus probabilem, sed vere probabilem, probabiliore relicta, extra Sacramentorum, & justitiæ materiam (44) est una sine dubio, ex celebrioribus *Sententiis*, quæ in *Scholis Catholicis* agitatur, & quæ a pluribus etiam pietate, & doctrina insignibus Catholicis Doctoribus tuetur, ut supra (45) ;de qua Apostolica Sedes nihil adhuc definiendum, aut pronunciandum censuit = Ergo juxta supra relatam Pontificis Pii VI. censuram, falsum est, ac *temerarium* licere hujusmo-

di sententiam *conviciis*, ac *contumeliis* insectari, asserendo, peccare etiam lethaliter eos, qui illam tuentur, atque sequuntur; ac proinde erroneum esse illam tenere, ac venditare. Falsum, inquam; est *temerarium*, citatis Scholis, & Doctoribus Catholicis sane *injuriosum*, ac debitæ derogans obedientiæ Apostolicis Constitutionibus, quæ semper, ut supra vidimus (27. & 28. &c.) in Catholicorum controversiis a conviciis, contumeliisque abstinendum præcipiunt, ut manifeste ex adductis apparet.

47 Quare attente videant, ut sibi provideant, qui sententiam, de qua agimus, ita insectantur, ut eam erroneam judicent, ac prædicent; putando, asserendoque audacter, etiam graviter peccare illos qui eam tuentur, vel in praxi sequuntur. Et interim, si recte sapiunt, admirentur, atque addiscant I. judicandi, ac damnandi regulam ab Ecclesia Catholica, quæ licet Fidei sit, ac Legis Divinæ Custos, Interpres, atque Magistra, & Judex, ab ipso Deo constituta: & licet de speciali Spiritus Sancti in judicando, ac damnando assistentia, ne erret, secura sit: attamen nonnisi ex gravi necessitate, gravissimi nem-

pe removendi Scandali ratione compulsa; & nonnisi summa cautione, post longum, iteratumque plurium Doctorum scrutinium, ac privatis, publicisque precibus præmissis, quasi evidenter, ut ita dicam, veritatem detexerit, aliquid aperte definit, ac declarat, contradicentes damnando, si contumaces. Aliunde autem Adversantes judicant, ac damnant, non modo sine necessitate, sed sine auctoritate; imo contra Christi mandatum, dicentis Lucæ 6. *Nolite condemnare*: Et damnant eos, quos Magistra Veritatis, & sola judicandi, ac damnandi facultate prædita, Ecclesia Catholica suscipit, ac peramanter amplectitur. Quid, quæso, turpius, quid audacius, ac insolentius, quam quod Servus Conservum illum damnet, ac domo veluti dejectum dicat, quem utriusque Dominus domi cum gaudio retinet, deque ipsius labore delectatur? Et quid ex adverso Christianæ humilitati, modestiæ, & Charitati decentius, quam quod idem servus cum simplicitate de Conservi opere, quod non sibi rectum videtur, propriam sententiam data occasione, proferat; & postea soli *Domino* suo relinquat dare, ac proferre judicium?

Admirentur secundo, atque addiscant christianam charitatem, atque modestiam Summi Pontificis Aniceti in facto cum S. Polycarpo, num. 11. relato. Anicetus erat Ecclesiæ Caput, ac judicandi, damnandique auctoritate præditus; & damnandi jam videbatur adesse rationi: quia Polycarpus, etiam post receptam ejusdem Pontificis monitionem, voluit in ea persistere sententia, quam Pontifex, saltem minus probabilem, si non aperte falsam, judicabat; & quidem jure, quia, utpote Ecclesiæ Caput, judicandi facultate suffultus. Et tamen, quia de re agebatur nondum ab Ecclesia definita, non modo Polycarpum non damnavit, sed ei ulterius Romæ Pontificalia agere indulsit, quod sane non permisisset, si eum lethali culpa infectum, ob adhæsionem ad suam minus saltem probabilem sententiam, putasset.

Nec dicas, illud Polycarpo permisisse Anicetum, quia eum sciebat, vel existimabat ægisse ex persuasione, quod propria sententia esset altera probabilior. Nec dicas, inquam, nam Pontifex, & quilibet rectus Judex respicere debet actionem aliquam, vel doctrinam, prout est in se, non vero prout apparet ei, qui illam efficit,

& sustinet; Alias nullus Hæreticus damnandus foret, eo quia judicandus esset, propriam sententiam ipsum tenere, quia vel certam, vel magis probabilem existimat: Quod tamen absurdum est dicere. Anicetus ergo illud Polycarpo permisit, pracise, quia propria illius sententia, licet falsa, vel saltem minus certe probabilis, expresse tamen ab Ecclesia Catholica tunc damnata non erat.

3. Tandem admirentur, & addiscant adversantes modestiam, charitatemque christianam præclari Ecclesiæ luminis S. Augustini, qui non solum minime damnavit S. Cyprianum, ut num. 39. retulimus, nec eos, qui Cathecumenos, repentina morte correptos, baptizare renuebant, licet hoc, ut minus saltem probabile, ut vidimus, tenere debuissent; sed potius primum excusat, & alios laudibus celebrat, ut ibi fusius narravimus. Admirentur, inquam, & a Summis in dignitate, in doctrina, & in sanctitate Viris agendi regulam, modumque addiscant erga illos, qui aliud ab eorum judicio tenent in Controversiis, mores etiam respicientibus, ab Ecclesia cognitis, nec tamen declaratis, ac definitis. Et caveant, ne superbiam sectentur Pharisæorum,

qui se tantum recta sapere, & bona operari putantes, alios, & ut ignaros despiciebant, & ut laxæ doctrinæ sectatores damnabant. Caveant, repeto, quia forte ad dexteram videbunt eos, quos temere judicantes futuros esse ad sinistram, se ipsos tali judicio damnationis reos constituent. Eo vel magis, quod qui rigidioris doctrinæ sunt, laxiores esse solent moribus suis; ut frequenti, ac pervulgata experientia innotescit. Hi enim quum se pios cupiant ostendere, Cum de seipsis agitur, de cupiditatibus suis, vel de Propinquis, & amicis minus probabiles, & sæpe improbabiles, & laxiores sententias, veluti probabiliores declarant, atque propugnant. Dum vero agitur de aliis, laxas esse volunt, & ut laxas condemnant firmas etiam opiniones vera probabilitate donatas: *Dicuut* (ut de eis loquitur Christus Matth. 23.) *dicunt, & non faciunt: alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere: omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus; dilatant... philacteria sua... amant primos recubitus in cænis. &c* Zelo flagrant erga alios, sed *amaro*, contentiones *generante*, non vero illo, qui a

sapientia procedit desursum, ut inquit Jacobus Apostolus cap. 3 nam *hæc sapientia pacifica est*, ex eodem, *modesta, plena misericordia, non judicans*: Alios facillime repræhendunt, & damnant: frequenter de aliorum actionibus sine scrupolo obloquuntur: sibique stulte blandientes, corde saltem, si non ore, cum Evangelii Pharisæo dicunt: *Non sumus sicut cæteri homines*. Et quum propterea se teneant doctrina rectos, moribusque impollutos, nec unquam redargui patiuntur, nec facile Sacris Ecclesiæ Pastoribus acquiescunt: Justos sine vera justitia, piosque sine vera pietate, se existimantes; quia debita humilitate, & obedientia carent, & charitate christiana: *Imitantur Sanctos*, verbis utar S. Isidori lib. 3 de Summo bono cap. 41. *Imitantur Sanctos rigore Disciplinæ, & sequi nequeunt charitatis affectione. Videri volunt rigida severitate; sed formam humilitatis præstare nequeunt; ut magis terribiles, quam mites aspiciantur. Superbi Doctores, vulnerare potius, quam emendare noverunt, Salomone attestante qui ait in ore stulti virga Superbiæ, quia increpando, rigide faciunt, & compati humiliter nesciunt*. Sic Doctor egregius S. Isidorus de arrogantibus Sacerdotibus.

Sed pejus etiam dici posse videtur: Nam volentes istiusmodi Doctores esse quandoque lethale sequi sententiam vere probabilem, probabiliore posthabita; sicut revera lethale est certam legem in re gravi non adimplere: ideo *certum* cum *incerto* in unum constituunt, atque confundunt: dicuntque ibi mortis timorem esse, ubi revera timor non est; ut vel ab omni timore homines miserrime retrahant; vel multiplicando præcepta, multiplicent etiam peccandi pericula, ac foveas, in quas infeliciter illi cadant, ac ultimo pereant.

48 Fateor tamen quosdam Sacræ Moralis Scriptores, recto etiam animo, ut ipsis videtur, contra alios invehere; quia eos putant, datis doctrinis, laxam moribus sternere viam. Sed bona sit cum pace eorum, ad eos non pertinet ita definire coram sciente, ac silente Magistra Veritatis Ecclesia; nec ita subtiliter contra illos acuere calamum, ut eos omnino damnent, ac veluti pravæ Doctrinæ Magistros execrentur, dirisque devoveant. Si enim Episcopi, ut sapienter eos admonet Vir doctrina, & auctoritate maximus Benedictus XIV. in suo egregio opere de Synodo Diœcesana, a se Summi Pontificatus tempo-

re reviso, ac iterum edito lib. VII. cap. 2. 11. 13. &c. Si, inquam, Episcopi utpote positi a Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam Dei, publici sunt Fidelium Magistri, & divinæ Legis interpetres, abstinere se debent a definiendis sententiis in morum quæstionibus, quæ hinc inde a Catholicis Theologis propugantur, ut Concilii Tridentini Patres egerunt, ea præcipue ratione, pluries a nobis repetita, quia nempe adhuc sub *judice lis est*; & *impune* pro una, & altera sententia dimicatur: & quomodo Doctor, vel Sacerdos omnino privatus hanc facultatem sibi arrogare poterit, sine veræ temeritatis labe, ut easdem sententias statuat, & hanc potius, non alteram opinionem sequendam omnino esse declaret, atque compellat?

49 Nec dicant, simili quoque modo egisse Sanctos, dum aliquam doctrinam, quam erroneam esse censebant, refutarunt. Ne dicant, inquam, etenim in Sanctorum operibus, etiam ad revincendos, ac profligandos errores ordinatis, christiana semper charitas effulget, atque modestia: Ut veritatis tuendæ unicus zelus appareat, non inanis victoriæ de Adversantibus, vel eorum depressionis cupiditas. Et raro tan-

tum contra quosdam nimis audaces, pervicacesque Hæreticos, fidem, veritatemque *manifestam* oppugnantes, stylum parumper acuere Sancti, ut monitum tenerent Spiritus Divini, Proverbiorum cap. 26. vers. 5. dicentis: *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur*. Quod minime egerunt, quando cum aliis Catholicis pro aliqua eorum sententia, salva Fide, & manifesta veritate, ut in casu, propugnabant. Sed si forte eorum aliquis, etiam cum Catholicis, pari modo egisset in rebus nec fidei, nec manifestæ veritati oppositis; hoc ignoscendum infirmitati humanæ, non vero imitandum. Qui ita agunt, vulnerant, non medentur, ut supra cum S. Isidoro diximus. Ad iracundiam provocant, non devios ad rectam viam reducunt: eorum zelus amarus est, ut supra ex Jacobi Apostoli cap. 3. retulimus, non ex Sapientia desursum; nam Sapientia desursum descendens, *pacifica est*, *modesta*, *suadibilis*, *plena misericordia*, *non judicans*. Ergo Scriptores, qui in alios non rigidioris doctrinæ ita acerbe, ut supra inveheuntur, dum illos accusant, se ipsos condemnant. Veluti per contemptum eos vocant *Doctores benignos*, quia eorum exem-

plo severe non sapiunt: quasi quod Joelis 2. Lucæ 6., & alibi Deus non potius *Benignus*, quam *Severus* appellari voluerit: Quasi quod non teneamur in *bonitate*, cum nempe clementiæ *idea* de Deo *sentire*, ut jubemur Sapientiæ I. & quasi quod Apostolus cap. I. Epistolæ ad Titum non præcipiat; Episcopum, qui alios ex officio docere tenetur regulas morum, *oportere* esse *benignum*. Timeo, ne qui sunt sine benignitate, habeant solam speciem pietatis, ut idem Apostolus ait cap. 3. Secundæ Epistolæ ad Timotheum, sed veram pietatem respuant, nimis se ipsos *amantes*, quos idem Paulus monet ibi esse vitandos.

50 *Turpissimum est*, ex certo communique Proloquio, *Dominum esse liberalem & Servum* seu Ministrum *avarum*. Sed *arcta*, semper repetunt adversantes, *arcta est via*, *quæ ducit ad vitam*, Matth. 7., & *angusta Porta*. Id quidem fide certissime credimus. Anne, non adhuc arcta remanet via salutis, & ejus angusta Porta, si concedamus lethale peccatum non esse sequi minus probabile, probabiliore relicto? Nonne adhuc vis facienda est passionibus? Non adhuc strenue dimicandum contra infestissimos hostes, Dæmoni-

um, Mundum, & Carnem? Est arcta quidem via, & angusta Porta, sed non ad modum Adversantium; bene vero ad modum expressum a Deo, & nobis manifestatum per Ecclesiam Catholicam, cujus exempla, & Decreta sententiæ nostræ, ut vidimus superiori Quæstiuncula, mirifice favent. Legatur perpulchra hac in re Homilia Maximi Doctoris Hieronymi super Evangelium: *Homo quidam erat dives*; ex ejus Epist. 15. ad Algariam (in Breviario in Dominica VIII. post Pentecost.). In ea S. Doctor adeo commendat in Christi Ministris Misericordiæ usum erga Fideles; ut ejus excessum quodammodo laudare videatur: hac ratione ab eo adducta, videlicet, quia nihil damni inde Christus deducit, ac sustinere potest; & aliunde ipse pronus est ad clementiam = An forte adversantes Hieronymum in cœtu numerabunt eorum, quos per contemptum *Benignos* vocant Doctores? Sed sciant inter rigidiores potius esse locandum. Nec decet Sacros Dei Ministros, adeo frequenter exaggerare severitatem Legis Christianæ, ut plus æquo terreantur audientes. Severa quidem est, quia corruptæ Naturæ nostræ, non rectæ rationi contraria: Sed simul *sua-*

vis appellatur, *&* *Levis*, quia facillime cum Dei adjutorio adimpletur. Illudque debet fidelis Christi Minister satagere, sicut egerunt Sancti, inter quos mirifice emicuit S. Franciscus Salesius, ut removeat nempe, quantum fieri licet, difficultates a Christianæ Legis observantia; distinguendo, quæ ad ejus adimplementum *necessaria omnino sunt*, quæque *tantum utilia*; ac facilia media suggerendo, quibus Fideles ad ejus observantiam alliciantur; non vero desperanter arceantur ab illa. Non gratum, sed ingratum, ac damnosum exhibet servitium Mercatori servus ille, qui rigorosum illius mercium exaggerat pretium: quia hinc ab illis emendis Emptores arcentur. E contra vero gratam, utilemque servitutem reddit Domino suo alter Administer, qui dignitatem, ac prætiositatem potius Mercium exaggerando, pretiumque ad medium, & quandoque ad infimum etiam gradum justitiæ deprimendo, Emptores allicit, ut cito merces utiliter vendat.

51 S. Paulus, Spiritu Sancto plenus, (Corinth. cap. 7.) post expresse abrogatam in III. Jerosolymitano Concilio (Actor. cap. 15.) Mosaycam Legem, & illam præ-

sertim Circumcisionis, Timotheum circumcidit, antequam Episcopum ordinaret; idque non alia de causa, nisi ut infirmitati indulgeret illorum, qui ex Hebræis ad Christum conversi, dedignabantur verbum Dei ab incircumcisis audire. Insuper suadente quoque Jacobo Apostolo (Actor. cap. 21.) ritu Mosayco se purificavit, jam, ut supra, expresse abrogato, ne videretur Legi Mosaycæ contrarius apud Fideles illos, qui adhuc eidem Legi, ob eorum infirmitatem, erant addicti: sic egit ille Divinus Apostolus, qui volens, quantum poterat, indulgere, recto fine, infirmitati humanæ, dicebat (I. Corinth. cap. 9.): *Factus sum infirmus infirmis, ut infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus, ut omnes facerem salvos*. Sic inquam egit iste Divinus Apostolus in iis, quæ non respiciebant essentialis Legis observantiam, ut ad Legem essentialem vel induceret, vel in ea confirmaret debiles spiritu, atque imbecilles. Quid vero in iis, similibusque casibus agendum dixisset Probabiliorista Severus? Non aliud sane, quam firmiter standum esse in Lege illa abrogante; eamque infirmis illis Fidelibus denunciandam esse; quidquid postea eventurum foret de ipsis. Id equidem, vel

huic simile aliquod dixisset Severus Probaorista; qui, nescio, num ulterius ausus esset, nimiæ saltem indulgentiæ Apostolum in suo corde accusare. Scio enim a quibusdam, qui talem rigoris sententiam affectant, sæpissime Romanos Pontifices nimiæ indulgentiæ, & forte etiam corruptelæ accusari, ac damnari; quia Prædecessorum exempla sequentes, maturo consilio (nec enim laudari possunt, quæ sine prudenti consilio fiunt, vel ministrorum fraude contingunt) plura concedunt, a Legibus non omnino essentialibus, expresse, vel tacite prohibita: scio, inquam, adesse tales sese audacter constituentes Judices illorum, qui veri Judices sunt a Christo constituti omnium omnino Fidelium.

Sed Apostolus, (dicere quis posset) ex speciali Dei revelatione, qua fruebatur, potuit Timotheum circumcidere, & ritu Mosayco se purificare. Verum non recte diceret; Enim vero illud egit Apostolus divina quidem gratia suffultus, sed ex humana quadam commiseratione, & quidem secundum rectam rationem; & ob finem rectissimum salutis eorum fidelium, dicit enim, *se infirmum fecisse, ut infirmos salvaret*; Nemo autem se *infirmum* facit, dum

ex speciali Dei revelatione operatur. Deinde; esto etiam ex speciali Dei revelatione, quia tamen illud egit ex fine salutis aliorum, & quia saluti aliorum etiam nos prospicere debemus; Ergo ut prospicere valeamus, imitari possumus Apostolum, infirmitati humanæ indulgentem, quando necessitas urget; cum id non appareat, prohibitum: *Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*. Ut idem Apostolus cap. 15. v. 13. ad Romanos apertissime docet.

52 Et quæ tandem utilitas in Ecclesia Catholica, ex tam acerba rigidorum probabilioristarum contentione contra defendentes, ut licitas opiniones minus, sed vere probabiles? Et qualis fructus ex eorum rigido systemate, tanto inquieto studio propugnato? Reformatione morum in Populo, vel potius major depravatio? Faciliorne regula pro sacris Ecclesiæ Pastoribus, ac Pœnitentiæ Ministris in regendis Fidelibus, & in Confessionibus audiendis; vel difficilior, intricatior, ac durior; & diversa ab ea, quam praxis docet necessario esse tenendam? De Populorum moribus reformatis, vel magis depravatis ea loquatur, quæ communiter omnibus appa-

ret experientia ; ea nunc celeberrima loquatur Natio, ubi rigidum illud Systema ortum, vel augumentum habuit. De faciliori autem, vel difficiliori Regula, inde deducta, in regendis Fidelibus, dicat factum ipsum, ubique notorium. Generatim nunc despiciuntur Sacri Ministri, quasi, ob tot exortas ex illo Systemate difficultates, numerum auxerint legum, ac peccatorum. Despiciuntur etiam, quia ob eamdem rationem sibi invicem discrepant; videnturque non eamdem omnes, sed diversam Christi doctrinam proponere. Doctiores, dignioresque sese a Sacris muneribus, ob tam auctas difficultates, retrahunt. Hinc ergo auctæ difficultates, perplexitates plurimæ, animi perturbationes, scrupuli: & hinc demum necessitas eisdem muneribus præficiendi indigniores moribus, atque doctrina, eos videlicet, qui in Probabilioristarum sententiis minus versati, minoribus, vel nullis difficultatibus in agendo premuntur, sed magno tamen cum Fidelium Scandalo, atque pernicie.

Infinitus essem, si omnia hac in re opportuna vellem complecti. Pauca hæc, si pauca dici possunt, dixisse sufficiant; & quidem in genere, sine ullius rigidi Au-

ctoris nomine, ne in errorem caderem, quem ipse reprehendi; nec Regulam illam transgrederer, quam vera moralis Christiana præscribit.

53 Non pigeat tamen obiter pro coronide usum quemdam advertere, nunquam magis, quam a præcitati Systematis propugnatoribus vicinis nostris tempestatibus insectatum, execratumque, veluti sub lethali etiam prohibitum, sed iisdem temporibus magis auctum, ac propagatum. Hic est usns Chorearum, Theatralium spectaculorum, & Larvæ, Mulierum præsertim in veste virili, & viceversa. Si accerrimi citati systematis defensores aliquantulum infirmitati humanæ, quæ ad solatia, & ad jucunditatis, & lætitiæ excitamenta vehementissime fertur, indulgere voluissent; non omnia omnino indiscriminatim Theatralia Spectacula, Larvas, atque Choreas, veluti etiam graviter vetitas damnassent; sed modum imitando præclari Christianæ discretionis Magistri S. Francisci Salesii in egregio suo Opere: *Introduzione alla Vita divota*: ad Philotheam Part. 2. cap. 33. 34. &c. distinxissent inter ea, quæ ex talibus baccanalibus solatiis, vel ex se, vel ex notis Personarum, aliisve circumstantiis, ma-

la sunt, ideoque illicita; penitus propterea vitanda, & *numquam omnino permittenda a superioribus* (qui maximopere curare tenentur, ut publica solatia undequaque, honesta habeantur) si inquam hæc distinxissent, ab illis, quæ nec in se, nec ex circumstantiis mala sunt, sed licita, attamen periculosa, proindeque non nisi caute, ac temperanter iisdem vacandum; Sane prudenter egissent, ac mea quidem sententia, valde utiliter egissent. Scio enim, *nihil ab eo obtineri*, ut fert adagium, qui *vult omnia complecti: & obtinere omnia* e contra *illum, qui paucis, eisdemque necessariis se ostendit esse contentum*; & ut experientia docet Filii, qui Parentes habent ea prudentia, ac sapientia præditos, ut eorumdem Filiorum desideria præveniendo, honesta eisdem solatia quærunt, datoque tempore, tribuunt; iisdem illi, ut plurimum contenti sunt, quin ad illicita diffluant. E contra vero ii Filii, qui nimis duros, rigidosque, atque imprudentes Educatores habent, semper, vel fere semper in illicitis ex sese voluptatibus incaute merguntur: vel si quandoque licitis, modo tamen semper illicito. En usitatior nimii rigoris effectus. En quod nimis cautos reddere debet scribentes de

Hominum moribus; hoc illos docere, qui aliorum præsunt gubernio.

54 Quæst. 10., ac ultima: Qualis esse debet Theologi vere Catholici Character; seu quæ vera ipsius nota, ac tessera?

55 Resp. Constantia, seu firmitas in expressis, vel manifestis Fidei, ac Legis Catholicæ Regulis: & in obscuris, non expressis, nec manifestis *Docilitas*, facilitas nempe acquiescendi suasioni alterius, cum propensione tamen, & adhæsione semper ad Ecclesiæ Romanæ, & Romani Pontificis doctrinam (41).

Prima pars responsionis satis apparet ex dictis in responsionibus ad secundam, & tertiam Quæst. tum num. 8., & 22. Et revera pluries Apostolus expresse mandat Fidelibus, ut in accepta Fidei, & Legis doctrina firmiter perseverent: eosque anathematizat, qui contrariam doctrinam tradiderint. Ait enim Epist. 1. ad Corinth. cap. 16. v. 13. *State in Fide, viriliter agite, et confortamini*. Et 2. ad Thessalon. cap. 2. 14. *Itaque Fratres* state, *&* *tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram*. Epist. autem ad Galatas cap. 1. v. 8. scribit: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam-*

quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Loquutio exaggerata, qua vult ostendere doctrinam a se traditam, ad eo certam esse, ac infallibilem, ut si per impossibile vel ipse, vel etiam Angelus contraria doceret, mentiretur. Unde versu 9. repetit dicens: *Sicut prædiximus, et nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit:* Ergo si firmiter tenendæ sunt doctrinæ Apostolicæ: Si excommunicantur docentes contraria, ex his aperte sequitur, Catholicum Theologum, qui ex munere Fidem, ac Legem Catholicam: alios docet, teneri ex suo munere, & charactere constantem esse, ac firmum in Fidei, ac morum Regulis expressis, idest expresse definitis, & in manifestis, idest ex expressis manifestæ deductis.

56 Secunda responsionis pars, quod nempe vera ejusdem Catholici Theologi nota sit in obscuris, ut supra, docilitas &c. ita demonstratur. Catholicus Theologus ea sapientia loqui debet, ac procedere, non quæ *terrena* est, animalis, *Diabolica*, ut inquit in sua Epistola S. Jacobus cap. 3. *Sed quæ desursum est*, ex eodem: Catholicus enim Theologus ea docet, & docere, ac tenere tenetur, quæ ex supernaturali Dei

revelatione, seu ex fide dependet. Quapropter talis Theologus, & omnes sacri Ministri, qui Catholicas Fidei, & Legis veritates exponunt, ac declarant, jure cum Paulo dicere possunt, ac debent: *Loquimur Dei Sapientiam* (cap. 2 Epist. 1. ad Corinth.) *Sed quæ desursum est Sapientia... est suadabilis* ... ut citato loco ait laudatus S. Jacobus, idest non *pervicax* in propria sententia, dum de obscuris agitur, non *superba*, nec *contentiosa*, ut illa terrena, & diabolica, sed *humilis*, ac proinde *docilis*, facile acquiescens aliorum doctrinis, quæ aperte falsæ non sint. Insuper *sapientia desursum* a Deo, ut dicitur Proverb. 8. detestetur *arrogantiam*, *et superbiam*, quæ in materia doctrinæ non est nisi audacia unice adhærendi propriæ sententiæ in obscuris: dicitur enim: *Ego Sapientia* habito *in consilio... arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor*: Ergo si Catholicus Theologus, ex dictis, Dei Sapientia instructus esse debet, & cum ea procedere: Si sapientia Dei, ex pariter dictis, in obscuris pertinax non est, nec arrogans, sed humilis, ac suadibilis: hinc necessario sequitur; talem etiam esse debere Catholicum Theologum; ac propterea *Docilitatem* ipsius esse debere characterem.

57. Et sane. Apostolus Epist. 2. cap. 2. ad suum discipulum Timotheum, quem Episcopum, ideoque ex officio Theologum constituerat: (oportet enim Episcopum erudire Fideles in Fide, & Lege Christi, & eos, qui contradicunt veritati, arguere. quod quidem proprium munus est Theologi) Apostolus itaque ad Timotheum scribens, inter alia monita, hoc illi tribuit, videlicet: *Stultas autem, et sine disciplina quæstiones devita, sciens, quia generant lites*. Non omnes quæstiones vitandas Apostolus præcipit, sed & stultas, & illas sine disciplina, idest sine moderatione, ac docilitate, quæ utique generant lites: Unde addit: *Servum autem Domini* non *oportet litigare, sed mansuetum esse ad* omnes, (nota verbum) *docibilem, patientem*: *Docibilem* inquit, idest, qui facile potest doceri, ut sapienter exponit S. Anselmus Cantuarensis in hoc Apostoli loco. Ergo ex Apostolo, Episcopus, ac proinde Catholicus Theologus *docibilis* esse debet, idest docilis, sensu nostro; non quidem dum de manifestis agitur, ex dictis num. 55; Ergo in obscuris, nondum definitis, nec ex definitis manifeste deductis: ac proinde *docilitas* in obscuris veri Theologi Catholici debet esse character.

58 Idipsum mirifice confirmatur, ex quo genuinus character vere probi Christiani Catholici, qualis profecto sit oportet Theologus, ne cum *alios* docet, seipsum accuset, esse debet obedientia. Hæc virtus, quæ directe ex vera nascitur humilitate, charissima Deo, qui: *humilia respicit in cælo, et in terra* (Psalm. 112.), qui *ab humilibus honoratur:* (Ecclesiastici cap. 3.) quique *consolatur humiles* (2. Corinth. cap. 7) Hæc, inquam, obedientiæ virtus est veluti christianæ perfectionis culmen; Deoque gratior sacrificio, ut dicitur I. Regum cap. 15. v. 22. ubi ait Samuel: *Numquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius, ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quam victimæ:* quia ut scite S. Gregorius lib. 33. Moralium c. 10.: *Per victimam aliena caro, per obedientium vero propria voluntas mactatur.* Qua de re, ut habetur Proverb. cap. 15. *Mens justi meditatur obedientiam: et Justorum natio est obedientia*, ut additur Ecclesiastici cap. 3. quia Justi in ea versantur, & vivunt. Unde Christus verum perfectionis exemplar, et Magister, in hac virtute voluit præcipue effulgere, dicente Apostolo ad Philip. cap. 2. de ipso: *Factus obediens usque ad mortem.*

Sed *obedientia docilitatem* facilitatem nempe, & alacritatem acquiescendi præscribit suasionibus aliorum in obscuris, potius quam propriæ adhærendi opinioni. Imo si, qui suadet, superior sit, & ex officio loquatur; tunc non est dumtaxat consilium, sed præceptum ejus sententiam præferre, ac sequi. Videamus, qui ipse Dominus in dubiis circa Legem præscripserit. Deuteronomii cap. 17. hæc mandat: *Si difficile, et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, et sanguinem, causam, et causam, lepram, et lepram: et judicum intra portas tuas videris verba variari: surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus* (quia nempe hæc est Lex Dei); *sequerisque sententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel: Labia enim Sacerdotis*, ut dicitur Malachiæ cap. 2. *cu-*

stodiunt scientiam, et Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Qua de re merito Ecclesiastici cap. 4. v. 7. habetur: *Presbytero humilia animam tuam, et Magnato humilia caput tuum.* Per caput enim intelligitur sola voluntas, quæ Magnato subijcienda est, per animam vero voluntas simul cum intellectu accipitur, qui etiam Presbyteri voci, ac doctrinæ subesse debet.

59 Nec dicas, relatam Deutoronomii Legem legalem fuisse pro solis Hebræis, ac proinde cum Synagoga periisse. Ne dicas quidem: Nam legalis fuit quoad pœnam, ab ea lege statutam: sed quod substantiam fuit, & est Lex moralis perpetua, fundata in eo ordine, quo Deus voluit, ut perpetuo inter homines essent Sacerdotes, & Superiores. Et hinc Christus Dominus eamdem legem in Evangelio renovavit, dum Matth. 23. dixit: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, et Pharisæi, quæcumque dixerint vobis, servate, et facite; secundum autem opera eorum nolite facere.* Et Lucæ 10. Discipulos omnes ultra Apostolos alloquens, dixit: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Lex ergo obediendi Sacerdotibus, eorumque sectandi

doctrinam in dubiis conscientiæ, dum ex eorum Sacerdotali munere loquantur, moralis vera est, nunc etiam vigens: licet non vigeat pœna, tunc in lege veteri, pro Populo duræ cervicis, valde necessaria.

Fortius sic doctrina roboratur, & dilucide ostenditur. Lex Christi, utpote Lex gratiæ pluribus cumulata est favoribus, ac privilegiis, quam Lex vetus, quæ Lex erat rigoris. Sed in veteri lege Fideles consulere poterant Dominum; ad ejus divinam voluntatem in dubiis legis, & conscientiæ detegendam: Deus autem responsum dare dignabatur, ut manifeste habetur in cap. 38. v. 6. Primi Libri Regum, vel *per somnia*, vel *per Sacerdotes*, aut *per Prophetas*. Ergo hoc ipsum consequi poterunt Fideles in Christi Lege, alias hæc foret deterior, quod affirmari nequit. At in Christi Lege non amplius communiter Deus loquitur per *somnia*; quæ respuuntur ab Ecclesia: Nec per *prophetas*, qui, fugata umbra per Christi mortem, cessarunt: Nec generatim ab Ecclesia admittuntur, licet quorundam Sanctorum particulares quasdam Prophetias non respuat. Ergo superest, ut nunc Deus per solos suos Sacerdotes, ac Ministros respondeat. Et sane de ipsis Christi ore dixit

Math. 23.; *quæcumque dixerint... servate, et facite*, & Luc. 10. *qui vos audit, me audit*. Idque maximum beneficium est; quia Sacerdotes sparsi ubique reperiuntur, & plures quam in Synagoga. Ergo ab iis, dum ex eorum officio loquuntur, divina responsa expectanda sunt, ac fideliter retinenda. Veritatem hanc insignibus etiam miraculis Deus ostendit, ut dum Saulum ad Ananiam misit, a quo divinam ejus voluntatem addisceret (Actor. cap. 9.) & Cornelium Centurionem ob eamdem causam ad Petrum (Actor. cap. 10.) Si Christus Saulum euntem Damascum admirando miraculo vocavit; cur non etiam docuit? Si Deus ad Cornelium misit Angelum; cur non ab Angelo doceri voluit, sed a Petro, ad quem eum Angeli voce direxit? Non alia sane de causa, nisi ut ordinariam ejus legem ostenderet, qua vult a Sacerdotibus divinam Legem, ac voluntatem expetendam esse; ac eorum propterea obtemperandum doctrinis, & præmandatis.

60 Hic tamen duo, jam supra notata, caute sunt consideranda, obediendum scilicet Sacerdotibus, *dum ex eorum munere loquuntur*; & obediendum in dubiis Legis conscientiæ. Loquuntur autem ex mu-

nere Sacerdotes, ut Confessarii in actu Confessionis, vel spiritualis directionis: Secundo ut Parochi, & potissimum Prælati, & Episcopi; dum ex officio suos Fideles edocent vel per se, vel etiam per Concionatores 3°. ut Patres in conciliis, aliquid definientes ad Fidem, vel mores pertinens. 4°. Tandem ut Romanus Pontifex super omnes potissimum, dum aliquid expresse ex Cathedra, idest ex suæ potestatis plenitudine, docet, ac definit ad fidem, vel mores pertinens. His omnibus obediendum est, dum ex eorum officio loquuntur; sed servato ordine Superioritatis, ut magis Pontifici, quam Episcopis; magis his, quam Paroco ec. obedientia præstetur.

Obediendum Secundo eisdem, non solum dum certa Fidei, & morum dogmata proponunt; sed etiam dum dubia conscientiæ declarant, ac solvunt. Non tamen æqualiter indiscriminatim. Nam Confessarii, Parochi, Episcopi, & Patres Concilii a Romano Pontifice non approbati, possunt quidem solvere dubia Fidei; ac morum, sed particularia cujuscumque Fidelis ad eos accedentis. At solvere nequeunt Fidei, & *morum dubia communia, et hinc inde in Ecclesia, ipsa sciente, ac tacente, a*

Catholicis Doctoribus exposita, *ac soluta*; hæc, inquam dubia communia solvere nequeunt definiendo, ac Fideles Pœnitentes, ac Subditos constringendo, ut sequantur sententiam, quæ eisdem magis arridet; Sed hanc modeste tantum proponere valent; & consulendo dumtaxat, non præcipiendo; Quia talia dubia communia, & nota in Ecclesia, definire, ac solvere, cum onere Fidelibus, definitionem tenendi, ad solam spectat Ecclesiam Universalem: (ex dictis num. 45., & sequentibus) idest ad Generale Concilium cum Romano Pontifice; vel ad solum Romanum Pontificem, post maturam rei discussionem, ex Cathedra definientem: ob specialem Dei assistentiam, qua fruitur in tali actu, ne erret; juxta Christi promissionem eidem in Persona Petri factam, qua dixit Lucæ 22. vers. 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Et Fideles, qui non obediunt Ecclesiæ Universali, sic expresse definienti, non solum peccant lethaliter, sed insuper ex Christi mandato Matth. 18. v. 17.: *Habendi sunt sicut Ethnici, et Publicani.* Qui vero non obediunt Sacerdotibus suis, modo, & tempore superius declarato; a Divina or-

dinatione, & a recta virtutis semita certo pariter deflectunt; & sine dubio peccant, plus, minusve, juxta materiæ gravitatem, ac obstinationis, seu Superbiæ mensuram: dummodo tamen Sacerdotes isti sint juncti Ecclesiæ Capiti Romano Pontifici, eique sint obedientes, ac obsequentes; quum ipse sit centrum unitatis Ecclesiæ Catholicæ: adeout, qui ad eum non referuntur, vel in Ecclesia non sunt, ut Hæretici; vel Ecclesiæ spiritu minime gubernantur, ut perversi Catholici. Hinc sapienter inquiebat S.Irenæus lib. adversus hæreses c. 3. *Ad hanc Ecclesiam Romanam propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam; hoc est eos, qui undique sunt Fideles;* Et S. Hieronymus epist. 14. ad Damasum, comparat Ecclesiam Romanam Arcæ Noe, extra quam in Diluvio nullus vivere potuit; Et Epist. 62. solam unionem, seu communionem cum Romano Pontifice sibi in Ecclesia sufficere declarat.

61 Qua de re Sacerdotes illi cujusque dignitatis, & gradus, qui Romani Pontificis ordinationes despiciunt, vel reverenter suscipere detrectant, aut de illius auctoritate obloquuntur; licet docti sint, & Pietatem affectent; reliquendi tamen sunt;

nec enim eorum sapientia est a. Deo desursum, nec eorum Pietas vera, sed larvata superbia.

62 Objicient aliqui dicentes: S. Polycarpus ex dictis num. 11. noluit obedire S. Aniceto Papæ; sicut nec Theophilus Episcopus Cesareæ cum suis S. Victori Papæ, ex relatis num. 12. S. Cyprianus cum suo Concilio, & insignis Cesareæ Episcopus Firmilianus noluerunt obedire Summo Pontifici S. Stephano I., qui eisdem mandaverat, ne ribaptizarent baptizatos ab Hæreticis, dum relicta hæresi ad ipsos confugiebant; Et tamen Polycarpus, & Cyprianus Sancti sunt; Ergo grave peccatum non est, non obedire Romano Pontifici. Deinde si peccatum non est sequi opinionem minus probabilem, minusve tutam, ex resolutione quæstiuncularum 5. n. 10. &c. & 8. num. 26. & sequentibus: & cur peccatum erit non obedire Sacerdoti ex officio loquenti, ut supra? Certe Sententia hujus Sacerdotis ad plus esse poterit probabilior: non certe infallibilis, quia ex dictis num. 60. ad solam Ecclesiam spectat certam doctrinam declarare: sed relinquere probabiliorem sententiam peccatum non est in casibus n. 41. indicatis; Ergo neque pecca-

tum erit relinquere talis Sacerdotis ordinationem. Eo vel magis, quod hæc sæpissime videbitur audientibus vel inepta, vel saltem minus probabilis; ac propterea corruit proposita assertio.

63 Resp. Ad I. male egisse prælaudatos Sanctos non obediendo Romano Pontifici: Sed sanguine deleverunt maculam, quam præ humana fragilitate, inobedientia contraxerunt. Eorum tamen error non valde gravis fuisse videtur. Agebatur enim de controversia communi (60), quæ tunc expresse definita non apparebat. Nec certe putabant prælaudati Sancti, Romanos Pontifices Anicetum, Victorem, & Stephanum loquutos fuisse *ex Cathedra*, definiendo propriam eorum sententiam, & damnando contrariam: quia dum Pontifex aliquid ex Cathedra definit, hoc ipsum aperte judicare debet, & indicat, dicendo 1. se post maturum examen, adhibito etiam plurium Doctorum voto (quod primis Ecclesiæ temporibus ob deficientiam Doctorum apud Pontificem, et ad facilius veritates, sine contradictione, in Ecclesia propagandas, ac stabiliendas; in plenario, idest copioso aliquo Concilio fieri solebat) & Dei lumine implorato. 2. Expresse se de-

finire, ac declarare talem Fidei, vel morum doctrinam veluti certam, & ad salutem omnino necessariam; & 3. Damnare contrariam veluti falsam, pœnamque Anathematis in contradicentes infligere. Ita præclarus Scriptor de auctor. Rom. Pont. lib. 3. cap. 5. citatus a P. Berti lib. 31. c. 13. De Theologicis Disciplinis post Prop. 8. §. *dato tamen &c.* Quum itaque hoc minime declarassent citati Pontifices; jam ex Cathedra eos loquutos fuisse, Sancti illi credere nequibant. Crediderunt ergo purum illis exhibuisse mandatum; sed inopportunum, & indiscretum; quia in materia Disciplinæ, ad quam eorum controversias spectare arbitrabantur, unaquæque Ecclesia suos usus, atque consuetudines tenere poterat, quin Pontifex ad unam Controversiæ partem aliquos compellere deberet. Sic Sancti illi, & hac sane ratione egerunt; Sed negari non potest aliqua, licet non lethali culpa, eos defecisse; quam tamen, ut præmisimus, vel Pœnitentia, vel dato pro Christo Sanguine deleverunt.

Ad Secundum dicimus, peccatum esse non obedire proprio Sacerdoti ex suo munere loquenti, non quia ejus sententia certa, vel magis probabilis, sed quia auctori-

tatem habet, ex probatis num. 58., 59., & 60., præcipiendi suis subditis Spiritualibus. Et quia hi tenentur eidem obedire, etiam in dubiis conscientiæ propriæ. Horrendum lege inobedientiæ erga sacros Dei Ministros exemplum inversu 35. & 36. cap. 20. lib. 3. Regum, in quibus hæc habentur: *Tunc vir quidam de Filiis Prophetarum dixit ad socium suum in Sermone Domini: percute me: At ille noluit percutere. Cui ait quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes a me: et percutiet te Leo. Cumque paulum recessisset ab eo, invenit eum Leo, atque percussit.* Nunc quero, quæ quæso terribilis hujus punitionis caussa? non alia sane, nisi, quia ille socius noluit ei obedire, quem Domini sciebat esse Ministrum. Et quidem, non quia obedire noluit in re aperte bona, sed in opere quod malum forte, vel ineptum sibi videbatur: debebat enim illum in facie vulnerare, ut ex antecedentibus, & subsequentibus citati capitis versiculis apparet. Attamen percussus fuit, quia non prompte, & uno cæco veluti modo obedire voluit Dei Ministro. Sed etiam novæ Legis Sacerdotes, dum ex proprio munere loquuntur, tamquam Dei Ministri audiendi sunt, ex dictis num. 58.

& 59. Ergo & istis modo exposito est obediendum; Et ab hoc obedientiæ onere tunc solum eximuntur, quando Sacerdotes, vel aperte mala præciperent, idest manifeste vetita a Lege Divina, vel humana superiore: vel quando Sacerdos privatus, non Summus Pontifex ex Cathedra loquens, auderet definire aliquam publicam, & ab Ecclesia toleratam controversiam, præcipiendo generatim, extra particularem aliquam circumstantiam sui Subditi Spiritualis, ut talem, & non alteram controversiæ partem sequatur. His inquam, in casibus non tenetur subditus suo Sacerdoti obedire; quia in primo casu obstaret Lex superior, cui est primo parendum. In Secundo, quia Sacerdos privatus jus non habet definiendi controversias notas in Ecclesia, & ab ea toleratas, ex dictis num. 45. & 60. &c. Quod si hujusmodi jus non habet; non habebit ex consequenti neque jus præcipiendi suis subditis, ut unam potius harum controversiarum partem sequatur, non alteram: dummodo tamen non id præcipiat ob aliquam particularem circumstantiam sui spiritualis subditi eidem exprimendam, saltem in genere, quia tunc hic teneretur obedire.

64 Ex iis inferas Sacerdotes non nisi

ex causa manifesta infringere, & respuere posse, ac debere sententias ab aliis Sacerdotibus latas in sui Sacerdotalis muneris exercitio; idque tum ob reverentiam debitam Sacro Ministerio, tum pariter, quia præsumendum est, divina suffultum assistentia primum Sacerdotem suam tulisse sententiam: dummodò aperte non constet, eum, vel ignorantia, aut malitia loquutum. Quod tamen de sententiis latis ab Oecumenico Concilio, vel a Romano Pontifice ex Cathedra loquuto, nequit absolute constare.

65 Et huic, aliisque præsentis assumpti Quæstiunculis sit finis: quibus absolutis, duplex nunc proponenda foret ad rei complementum Summa, suo recto quidem ordine digesta: in quarum prima nitide referantur ea, quæ *certo* de Fide credenda sunt (num. 8.) distincta ab illis, quæ habentur incerta (num. 9., & 10.). In altera summa, pari claritate exposita videantur illa, quæ *certa* lege, sine vera Catholicorum Doctorum discrepantia, fieri debent ad æternam comparandam salutem (n. 4.), distincta similiter ab *incertis* (num. 25. & 26.). Idque, ne incerta cum incertis, veluti in unum coacervata Nos miseri, ac infirmi vi-

dentes, ut reapse videmus; vel certa aliqua parvipendamus ob commixionem cum incertis, sicut (lugens dico) non raro accidit. Vel æque certa, ac incerta pari ratione constringere ex erronea conscientia censentes, peccatorum Sarcinam, ad æternam nostram perniciem, augeamus. Sed opus hujusmodi gravissimum, & meo quidem judicio optatissimum, ac necessarium fidelibus, animarum præsertim curam habentibus, atque Confessariis; non facile unius, bene vero plurium, & quidem sacra doctrina, & eruditione præstantium Virorum, Librorumque copiam habentium laborem exposceret. Ergo, ut ab aliquibus ex iis hoc fiat, illud dumtaxat desiderare nunc valeo, sicut revera ardentissime exopto, effusisque ad Deum precibus imploro.

66. Quæ in præmissis Quæstiunculis dirimendis pretuli; eo quidem fine, quem ingenue Lectori apervi a principio, hæc, non pro libito dixi; sed prout ex apertis Catholicorum Regulis, ac Doctrinis dicenda esse judicavi. Quod si meum me fefellit judicium, culpa non est; quia nec malitia, nec oscitatione aliqua; sed nuda ignorantia erravi: ac meum in casu errorem revoco, atque detestor. Interim me,

et a me Scripta Ecclesiæ Catholicæ judicio, & correctioni submitto, Sanctæ præsertim Sedis Romanæ, cui me obsequentissimum, addictissimumque sincero corde profiteor.

FINIS.

INDEX QUÆSTIUNCULARUM.

INDEX RERUM
PER ALPHABETUM.

O

P

S

T

V

Z

Pag.	Linea	ERRATA	CORRIGE.
7	21	recipiunt	recipiant
22	27	Inque	Idque
34	12	Secus, quia non certam veritatem autem secundæ ostendunt.	Secus autem secundæ, quia non certam veritatem ostendunt.
	20	Sua tamen	Sunt tamen
37	16	Catholicæ, diversimode	Catholicæ, sed diversimode
38	18	tutior videtur	tutior videtur?
49	22	inter alias	inter alios
52	7	vides in dubio	docere videtur
62	20	atque concessa	atque concussa
69	1[illegible]	in conspectu eorum	in conspectu earum
	16	non	nos
81	1	reato	recto
87	7	rationi	ratio
99	19	Reformatione	Reformatio ne
101	12	usns	usus
105	1	dependet	dependent
	16	detestetur	detestatur
108	8	qui ipse	quid ipse
109	15	sed quod	Se quoad
111	23	& premendatis	atque mandatis
118	20	& uno	& non
121	20	pretuli	protuli
	21	apervi	aperui
123	19	quia rigoroso	quin rigoroso
130	2	opinio probabilise	opinio probabilis